41567/B

Alex. Brongniart
Professeur
d'histoire Naturelle

JOSEPHI JACOBI PLENCK.

Conſiliarii Caeſareo-regii, Chirurgiae Doctoris, Chemiae atque Botonices Profeſſoris publici, Ordinarii in Academia medico-chirurgica Joſephina, ejusdemque Academiae Secretarii perpetui, nec non Directoris Pharmacopoearum militarium atque chirurgi ſtatus militaris Supremi.

PHARMACIA CHIRURGICA

SEU

Doctrina de medicamentis præparatis ac compositis, quæ ad curandos morbos externos adhiberi solent.

EDITIO TERTIA AUCTA EMENDATA.

VIENNAE,

APUD RUDOLPHUM GRÆFFER ET SOC.

1791.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

AUDITORIBUS SUIS

S.

EN alteram, quam pridem a me exspectastis Pharmacologiæ chirurgicæ partem, quæ PRÆPARATORUM ac COMPOSITORUM, quibus morbos externos profligare ſolemus, continet doctrinam. Non solum, quas optima Dispensatoria suppetidant formulas officinales, sed & tales estis inventuri, quarum summi in arte viri nobis copiam fecerunt, ac longo usu commendarunt. Inertia, superflua, obsoleta, ac perperam laudata maximam partem omisi. Omisissem plura etiam ni hæcce ob consuetudinem ac cæcam fiduciam, quam nonnulli in composita quædam e præjudicata opinione ponunt, retinere consultius duxissem : hæc saltem vos latere non debent.

Methodum præparandi ac componendi norma proposui ea, quam in optimis Diſpenſatoriis reperi, potiſſimum anglico, helvetico, danico, ac austriaco sum usus. Parcus ſui in laude ac usu medicamentorum, cum de his in mea MATERIA CHIRURGICA abundantius dixerim. Ceterum vero mementote, o boni! quum quidquid in vestrum emolumentum conferre poſſim, per quam libenter me nunquam non facere, hinc & hanc opellam in vestrum solummodo usum absque ornatu, at cum boni animi candore exaratam accipite, ac mecum feliciter ea in ægrotorum emolumentum utimini.

PHARMACIÆ
CHIRURGICÆ
PARS PRIMA
SEU
DE MEDICAMENTIS PRÆPARATIS.

ELENCHUS

PRÆPARATORUM GENERALIS.

I.	Aquæ.	Die Wäſſer.
II.	Aceta.	Eſſige.
III.	Spiritus vinosi.	Weingeiſter.
IV.	— acidi.	ſaure Geiſter.
V.	— alcalini.	laugenhafte Geiſter.
VI.	— salsi.	mittelſalzige Geiſter.
VII.	— dulcificati.	verſüßte Geiſter.
VIII.	— Tincturæ.	Tincturen.
IX.	— Essentiæ.	Eſſenzen.
X.	Elixiria.	Elixire.
XI.	Extracta.	Extracte.
XII.	Olea expressa.	ansgepreßte Oele.
XIII.	— stillatitia.	deſtillirte Oele.
XIV.	— cocta.	abgekochte Oele.
XV.	— infusa.	aufgegoſſene Oele.
XVI.	— empyreumatica.	brenzlichte Oele.

XVII.	Olea per deliquium.	zerfloſſene Oele.
XVIII.	Decocta.	Abkochungen.
XIX.	Infuſa.	Aufgüſſe.
XX.	Mella.	Honige.
XXI.	Liquores.	Liqueurs.
XXII.	Mucilagines.	Schleime.
XXIII.	Sapones.	Seifen.
XXIV.	Pulpæ.	Marke.
XXV.	Reſinæ.	Harze.
XXVI.	Succi expressi.	ausgepreßte Säfte.
XXVII.	Salia alcalina fixa.	Feuerbeſtändige Laugenſalze.
XXVIII.	— acida fixa.	Saure feuerbeſtändige Laugenſalze.
XXIX.	— neutra.	Mittelſalze.
XXX.	— volatilia.	flüchtige Salze.
XXXI.	Axungiæ.	Schmalze.
XXXII.	Seba.	Unſchlichte oder Talge.
XXXIII.	Spongiæ præparatæ.	zubereitete Schwämme.
XXXIV.	Præparata pro pulverisatione.	Zubereitungen zum Pulvern.
XXXV.	Præparata per calcinationem.	Zubereitungen durch Röſten.
XXXVI.	— metallica.	metalliſche Zubereitungen.

ELENCHUS

PRÆPARATORUM SPECIALIS

AQUÆ.

AQUA rosarum.	Roſenwaſſer.
— florum sambuci.	Hollunderblüthwaſſer.
— rutæ.	Rautenwaſſer.
— salviæ.	Salbeiwaſſer.
— fœniculi.	Fenchelwaſſer.
— hyſſopi.	Iſopwaſſer.
— cicutæ.	Schierlingwaſſer.
— calcis vivæ.	Kalchwaſſer.
— fortis.	Scheidewaſſer.

ACETA.

Acetum roſarum.	Roſeneſſig.
— rutæ.	Rauteneſſig.
— camphoratum.	Campfereſſig.
— armoraciæ.	Meerretticheſſig
— florum sambuci.	Hollunderblütheſſig.
— vini concentratum.	concentriter Weineſſig.
— deſtillatnm.	übergezogener Weineſſig
— lithargyrii concentratum, seu Extractum Saturni.	concentrirter Silberglätteſſig, oder Bleyextrakt.

Spiritus vinosi.

Spiritus vini rectificatus.	rectificirter Weingeiſt.
— rectificatissimus.	höchſtrectificirter Weingeiſt.
— camphoratus.	Campfergeiſt.
— rorismarini ſeu anthos.	Rosmaringeiſt.
— serpilli.	Quendelgeiſt.
— cochleariæ.	Löffelkrautgeiſt.
— lavendulæ.	Lavendelgeiſt.
— formicarum.	Ameiſengeiſt.
— lumbricorum terreſtrium.	Regenwürmergeiſt.

Spiritus acidi.

Spiritus vitrioli.	Vitriolgeiſt.
— Spiritus nitri fumans.	rauchender Salpetergeiſt.
— salis concentratus.	concentrirter Salzgeiſt

Spiritus alcalini.

Spiritus salis ammoniaci simplex.	Einfacher Salmiakgeiſt:
Spiritus salis ammoniaci cum calce paratus.	Mit Kalch zubereiteter oder äzender Salmiakgeiſt.
— — — vinosus.	mit Weingeiſt bereiteter Salmiakgeiſt.

Spiritus neutri.

Spiritus Mindereri.	Minderers Geiſt.
Spiritus salis ammoniaci succinatus.	mit Bernſtein bereiteter Salmiakgeiſt.

Spiritus dulcificati.

Spiritus vitrioli dulcis.	verſüßter Vitriolgeiſt.
— nitri dulcis.	verſüßter Salpetergeiſt.
— salis dulcis.	verſüßter Salzgeiſt.
Naphtha seu Æther vitrioli.	Vitrioläther.

Tincturæ.

Tinctura aloes.	Aloetinctur.
— benzoes.	Benzoetinctur.
— catechu.	Catechutinctur.
— succini.	Bernſteintinctur.
— serpentariæ.	Virginiſche Schlangenwurztinktur.
— salis tartari.	Weinſteinſalztinctur.
— cantharidum.	Spaniſche Fliegentinctur.
— opii, seu laudanum liquidum.	Mohnſafttinctur, oder flüßiges Laudanum.

Essentiæ.

Essentia aristolochiæ rotundæ.	Oſterluceywurzeleſſenz.
— balsami peruviani.	Peruvianiſche Balſam eſſenz.

Essentia pini.	Tannzapfeneſſenz.
— mastichina.	Maſtixeſſenz.
— corticis peruviani.	Fieberrindeneſſenz.
— euphorbii.	Euphorbiumeſſenz.
— myrrhæ.	Myrrheneſſenz.

Extracta.

Extractum cicutæ.	Schierlingextract.
— myrrhæ.	Myrrhenextract.
— opii.	Mohnſaftextract.
Extractum Saturni.	Bleyextract.
Fel tauri inspissatum.	eingekochte Ochſengalle

Olea expressa.

Oleum amygdalarum dulcium.	Süß Mandelöl.
— amararum.	Bitter Mandelöl.
— lini.	Leinöl.
— seminum hyosciami.	Bilſenſaamenöl.
— olivarum.	Baumöl.
— juglandum.	Nußöl.
— sesami.	Flachsdotteröl.
— ovorum.	Eyeröl.
— nucis moschatæ.	ausgepreſtes Muſcatenöl.

Olea stillatitia.

Oleum anisi.	Anisöl.
— spicæ.	Spicköl.
— cajeputi.	Cajeputöl.
— chamomillæ.	Kamillenöl.

Oleum juniperi.	Wacholderbeeröl.
— cinnamoni.	Zimmetöl.
— caryophillorum.	Gewürznelkenöl.
— corticum aurantiorum.	Pommeranzenöl.
— de cedro.	Cederöl.
— oleum ligni rhodii.	Roſenholzöl.
— terebinthinæ.	Terpentinöl.
— vitrioli.	Vitriolöl.

Olea cocta.

Oleum absynthii coctum.	abgekochtes Wermuthöl.
— hyperici.	Johanniskrautöl.
— laurinum.	Lorbeeröl.
— rosatum.	Roſenöl.
— lumbricorum terrestrium.	Regenwürmeröl.

Olea infusa.

Oleum liliorum alborum.	Weiß Lilienöl.
— ſcorpionum.	Scorpionöl.

Olea Empyreumatica.

Oleum cornu cervi.	Hirſchhornöl.
— succini.	Bernſteinöl.
— tartari fœtidum.	ſtinkendes Weinſteinöl.
— philosophorum.	Ziegelöl.
— ceræ.	Wachsöl.

Olea per deliquium.

Oleum tartari per deliquium.	zerfloſſenes Weinſteinöl.
Oleum causticum camphoræ.	ätzendes Campferöl.
— myrrhæ.	Myrrhenöl.

Mella.

Mel despumatum.	Geläuterter Honig.
— rosarum.	Roſenhonig.
— boraxatum.	Boraxhonig.
— chelidonii.	Schöllkrauthonig.
mercuriale.	Bingelkrauthonig.
— anthosatum.	Roßmarinhonig.
— vermium majalium.	Mayenwurmkäferhonig
Oxymel.	Sauerhonig.

Liquores.

Liquor nitri fixi.	Feuerbeſtändiger Salpeterliquor.
— anodynus mineralis.	Schmerzſtillender mineraliſcher Liquor.
— seu liquamen myrrhæ.	Myrrhenliquor.

Mucilagines.

Mucilago seminum cydoniorum.	Quittenkernſchleim.
Mucilago seminum psyllii.	Flöhſaamenſchleim.
— gummi arabici.	Schleim von arabiſchen Gummi.
radicis altheæ.	Eibiſchwurzelſchleim.

Sapones.

Sapo venetus.	venediſche Seife.
— starkeyanus.	Starkeysſeife.

Axungiæ.

Axungia porcina.	Schweineſchmalz.
— viperina.	Vipernſchmalz.
Medulla ossium.	Knochenmark.

Seba.

Sebum ovillum.	Schöpſentalg.
— cervinum.	Hirſchtalg.
Butyrum cacao.	Cacaobutter.

Pulpæ.

Pulpa pomorum.	Aepfelmark.
Roob sambuci.	dicker Hollunderſaft.
— nucum.	— Wallnusſaft.
— mororum.	— Maulbeerſaft.
— ribium.	— Johannisbeerſaft.

Resinæ.

Resina pini.	Weiſſes Pech.
Colophonium.	Geigenharz.

Succi expressi.

Succus acetosæ.	Sauerampferſaft.
— naſturtii.	Brunnenkreſſeſaft.
— cochleariæ.	Löffelkrautſaft.

Salia alcalina fixa.

Sal sodæ.	Sodaſalz.
— tartari.	Weinſteinſalz.
Nitrum fixum.	fixirter Salpeter.

Salia acida fixa.

Tartarus.	Weinſtein.
Cremor tartari.	Weinſteinrahm.

Salia neutra.

Nitrum depuratum.	gereinigter Salpeter.

Salia volatilia ſicca.

Sal volatile ſalis ammoniaci ſiccum.	Engliſch Riechſalz.
Sal cornu cervi volatile.	flüchtig Hirſchhornſalz.
— viperarum volatile.	flüchtig Vipernſalz.

Spongiæ præparatæ.

Spongia præparata.	zubereiteter Schwamm.
Agaricus præparatus.	zubereiteter Eichenſchwamm.
Boviſta præparata.	zubereiteter Boviſt.

Præparata pro Pulveriſatione.

Corallia alba & rubra præparata.	zubereitete weiße und rothe Corallen.
Lapides cancrorum præparati.	zubereitete Krebsaugen.
Lapis calaminaris præparatus.	zubereiteter Gallmeyſtein.
Succinum præparatum.	zubereiteter Bernſtein.
Galbanum depuratum.	gereinigtes Galbanum.
Gummi ammoniacum depuratum.	gereinigtes Amoniakgummi.

Tulia

Scilla præparata.	zubereitete Meerzwiebel.
Tutia præparata.	zubereitete Tutia.

PRÆPARATA PER USTIONEM.

Alumen ustum.	gebrannter Allaun.
Vitriolum calcinatum.	calcinirter Vitriol.
Colcothar vitrioli.	Vitriol-Colcothar.
Terra vitrioli dulcis.	verſüßte Vitriolerde.
Cornu cervi uſtum.	gebrantes Hirſchhorn.
Calx viva.	Ungleöſchter Kalch.

PRÆPARATA METALLICA.

Præparata Plumbi.

Lithargyrium.	Silberglätte.
Minium.	Mennig.
Ceruſſa.	Bleyweiß.
Saccharum Saturni.	Bleyzucker.

Præparata Cupri.

Ærugo, seu viride æris.	Grünſpan.

Præparata Ferri.

Mars solubilis.	auflösliches Eiſen.
Globuli martiales.	Stahlkugeln.

Præparata Argenti.

Lapis infernalis.	Höllenſtein.

Præparata Mercurii.

Mercurius gummosus.	gummichtes Queckſilber
Mercurius sublimatus corrosivus.	ätzender Queckſilberſublimat.

Mercurius præcipitatus ruber.	rother Queckſilberpräcipitat.
Mercurius præcipitatus albus.	weißer Queckſilberpräcipitat.
Mercurius dulcis.	verſüßtes Queckſilber.
Æthiops mineralis.	mineraliſcher Mohr.
Cinnabaris ſactitia.	gemachter Zinnober.

Præparata Zinci.

Flores zinci.	Zinkblumen.
Nihilum album seu Pompholyx.	weißer Nichts oder Pompholix.
Tutia seu nihilum gryseum.	Tutie oder grauer Nichts.

Præparata Antimonii.

Hepar antimonii.	Spießglasleber.
Crocus metallorum.	Metallſafran.
Butyrum antimonii.	Spießglasbutter.

Præparata Bismuthi.

Magisterium bismuthi.	Wißmuthpräcipitat.

PHARMACIÆ CHIRURGICÆ
PARS PRIMA
SEU
DE MEDICAMENTIS PRÆPARATIS.

DE PRÆPARATIS GENERATIM.

Medicamenta, quæ ad morbos externos curandos adhiberi ſolent in *tres* dividuntur *Claſſes* generales.

1. in *ſimplicia* ſeu cruda.
2. — *præparata* ſeu ſimplicia, quæ arte pharmaceutica immutata vel educta fuere.
3. — *compoſita*, quæ ex miſcela ſimplicium vel præparatorum oriuntur.

De ſimplicibus ſeu crudis *materia chirurgica* vel *Pharmacia chirurgica* agit.

Præparata autem & compoſita tradit *Pharmacia*, quæ ſcientia præparandi ac combinandi medicamenta eſt.

Tirones chirurgiæ, qui Pharmaciam penitus intelligere cupiunt, antea *Materiam chi-*

rurgicam, *Chemiam*, atque *artem pharmaceuticam* bene sciant oportet.

Hocce opusculum succinctam dabit pharmaciæ chirurgicæ ideam.

Medicamenta arte pharmaceutica vel immutata vel præparata sequentia sunt.

I. Aquæ Stillatitiæ. Plantæ aromaticæ cum aqua fontana destillantur.

II. Aceta. Plantæ cum aceto forti frigide infunduntur & solis radiis per aliquot tempus exponuntur.

III. Spiritus Vinosi. Plantæ cum vino vel spiritu vini destillantur.

IV. Spiritus Acidi. Ex vitriolo, nitro & sale marino per destillationem eliciuntur.

V. Spiritus Alcalini. Maximam partem ex sale ammoniaco per destillationem separantur.

VI. Spiritus Salsi. Per combinationem spiritus alcalini & acidi componuntur.

VII. Spiritus Dulcificati. Fiunt dum una pars acidi mineralis cum sex & pluribus partibus alcoholis vini per destillationem combinantur.

VIII. Tincturæ. Speciebus siccis affunditur aqua tepida, vel spiritus vini, stent in loco tepido vase clauso. Tinctura *aquoſa* extrahet colorem & saporem. *Tinctura* autem *ſpirituoſa* simul odorem.

IX. Essentiæ. Sunt tincturæ spirituosæ magis quam simplex tinctura saturatæ.

X. Elixiria. Sunt tincturæ adeo saturatæ, ut opacæ evadant.

XI. Extracta. Tinctura aquosa lento igne evaporetur ad consistentiam extracti.

XII. Olea Expressa. Semina contusa, calefacta in sartagine & agitata ne ustulentur, excepta sacculo lineo, submittantur prelo calido, & exprimantur.

XIII. Olea Stillatitia. Plantæ subsiccæ macerentur in aqua per triduum, addito parum salis fiat destillatio aquæ, oleum ei supernatans separetur.

XIV. Olea Cocta. Herbæ macerentur in oleo expresso seu olivarum. Hoc coquatur lente ad humidi consumptionem, exprimatur & coletur.

XV. Olea Infusa. Herbæ cum oleo expresso sine coctione infunduntur.

XVI. Olea Empyreumatica. Plantæ resinosæ destillentur per retortam sive per descensum.

XVII. Olea per Deliquium. Improprie sic vocantur. Sunt salia liquida, quæ olei consistentiam habent.

XVIII. Decocta. Species aqua aut alio liquido decoquantur, ut liquor ebulliens extrahat proprietates.

XIX. Infusa. Speciebus aqua vel vinum fervidum affundatur, ut liquidum absque ebullitione proprietatem extrahat.

XX. Mella. Cum succo herbæ mel decoquitur.

XXI. Liquores. Sub hoc nomine peculiaria quædam præparata proſtant in officinis.

XXII. Mucilagines. Gummi mediante aqua solvitur vel ex seminibus mucilaginosis extrahitur.

XXIII. Sapones. Componuntur ex oleo & sale alcalino.

XXIV. Succi Expressi. Plantæ recentes contusæ ope preli exprimuntur.

XXV. Pulpæ. Caro fructuum decoctione cum aqua emollita per setaceum trajicitur.

XXVI. Resinæ. Ex plantis resinosis ope spiritus vini extrahuntur, & dein ex illo per affusam aquam separantur.

XXVII. Salia Alcalina Fixa. Plantæ recentes in sartagine, lamina ferrea tecta, lente comburantur ad perfectos cineres. Cineres extrahantur aqua fontana, aqua decantetur, filtretur, evaporetur ad sicciatem, residuum calcinetur, solvatur aqua, coquatur ad pelliculam, crystallisetur.

XXVIII. Salia Acida Fixa seu Essentialia. Succus herbæ recentis filtretur, in vitro lente evaporetur ad $\frac{1}{3}$ residuum, reponatur in olla, tectum oleo expresso, stet per octo menses, sal cryſtallisatum separetur, cito aqua frigida abluatur, & leniter exsiccetur.

XXIX. Salia Neutra. Fiunt, dum salia acida soluta cum salibus alcalinis ad perfectam saturationem commiscentur.

XXX. Salia Volatilia Alcalina. Ex partibus animalibus ope destillationis & sublimationis eliciuntur.

XXXI. Axungiæ & Seba sunt pinguedines animalium eliquatæ, axungiæ mollioris, seba solidioris sunt consistentiæ.

XXXII. Calcinata. Fiunt dum corpora compacta per ignem in substantiam friabilem rediguntur.

XXXIII. Metallorum Præparatio. Metalla calcinatione, solutione per acida mineralia, vel alio labore pro usu medicato varie adaptantur.

PONDERA PHARMACEUTICA.

Pondera in officinis pharmaceuticis uſitatiſſima ſunt.

℔. ſeu Libra.
℥ — Uncia.
℥β — Uncia ſemis.
ʒ — Drachma.
℈ — Scrupulus.
gr. — Granum.
Libra medica habet ℥xii. & libra civilis ℥xvi.
Uncia. — — ʒviii.
Drachma. — ℈iij.
Scrupulus — gr. xx.
β. ſeu ſemiſſa eſt medietas alicujus ponderis.
āā. ſeu ana ſignificat æqualis quantitas.
Seſqui eſt totum & medium, ut ſeſquilibra. ℔iβ.

Mensuræ Aridorum seu Herbarum.

M. ſeu *Manipulus* eſt moles, quam una manu complecti poſſumus ſeu pugil. iv.

Pugill. ſeu *Pugillus*. Moles, quæ pollice & duobus digitis capitur.

Faſc. — *Faſciculus*. Moles, quæ brachio complicato capi poteſt ſeu molis xii manipulorum.

N°. — *Numero* nempe pari vel impari.

Mensuræ liquidorum.

Cyath. seu Cyathus habetur pro ℥ij.
Cochl. — Cochleare habetur pro ʒß.
Gtt. — Gutta est moles guttæ, aqueæ.
Pint. — Pinta habet ℥xvi.
Mens. — Mensura habet ℔iv.

Abbreviationes in formulis consuetæ.

℞. seu Recipe.
fl. — Flores.
hb. — Herba.
rad. — Radix.
q. s. — Quantum satis.
q. v. — Quantum vis.
q. pl. — Quantum placet.
q. l. — Quantum libet.
m. f. — Misce fiat.
l. a. — Lege artis.
ſ. a. — Secundum artem.
inc. & cont. — Incisa & Contusa.
ſolv. — Solvatur.
ſ. — Signetur.
B. A. — Balneum Arenæ.
B. M. — Balneum Mariæ.
coq. — Coque.
inf. — Infundatur.
Collat. — Collatura.
add. — Adde.
d. ad. — Detur ad.

Vitr. seu Vitrum.
ſcat. — Scatula.
fict. — Fictile.
p. æq. — Partes Aequales.
MP. — Massa Pilularis.
d. ſ. — Detur Signetur.
ol. p. d. — Oleum per deliquium.
pptt. — Præparatum.

Signa Pharmaceutica Medicamentorum.

🜊. Acetum.
🜋. Acetum destillatum.
♌. Spiritus.
○. Alumen.
⊖. Sal.
⦶. Nitrum.
🜖. Vitriolum.
lap. ♋ Lapides cancrorum.
C. C. Cornu cervi.
🝆. Oleum.
⊖)(. Sal ammoniacum.
G)(. Gummi ammoniacum.
🜍. Sulphur.
🜿. Tartarus.
⊡. Urina.
▽. Aqua.
🜃. Terra.
△. Ignis.
🜁. Aer.

S.V. Spiritus vini.
Λ. Volatile.
V. Fixum.
☉. Aurum.
☽. Argentum.
🝁. Calx vivá.
♂. Mars seu Ferrum.
☿. Mercurius.
☿ 🝞. Mercurius sublimatus.
☿ 🝟. Mercurius præcipitatus.
♄. Saturnus seu plumbum.
♃. Stannum.
⊕. Ærugo seu viride æris.
♁. Antimonium.
🜍. Cinnabaris.
♀. Cuprum.
🝫. Pulvis.
℞. Tinctura.
🜅. Aqua fortis.
🜆. Aqua regia.

MEDICAMENTA PRÆPARATA.

A Q U Æ.

A Q U A R O S A R U M.

R. Florum rosarum ℔ vj.
Aquæ fontanæ ℔ xxiv.
Leni destillatione proliciantur ℔ vj.

Usus. *Hæc aqua stillatitia pro collyriis adhibetur.*

AQUA FLORUM SAMBUCI.

Ut aqua rosarum paratur & ejusdem est usus.

A Q U A R U T Æ.

R. Herbæ rutæ ℔ ij.
Aquæ fontanæ ℔ xx.
destillentur lento igne ℔ xij.

Usus. *Ingreditur aquas et collutoria antiseptica.*

Aqua Salviæ.
— Foeniculi.
— Hyssopi.
— Cicutæ.

AQUA CALCIS VIVÆ.

R. Calcis vivæ ℔ j.
Aquæ fontanæ ℔ viij.

Agitentur subinde & subsidente calce liquor clarus effundatur.

Usus. *Ad sananda et exsiccanda ulcera præsertim scorbutica utilis est. Ingreditur præparationem aquæ phagadænicæ.*

AQUA FORTIS.

R. Vitrioli ad flavedinem calcinati & siccati.

Nitri depurati āā ℔ iv.

Probe mixta destillentur e retorta capaci, commissuris clausis, igne reverberii gradatim adhibito, in vas recipiens amplum, cui aquæ fontanæ libræ duæ infusæ sint.

Usus. *Ad varia præparata pharmaceutica requiritur, subinde ad exstirpandam cariem adhibetur.*

ACETA.

ACETUM ROSARUM.

R. Rosarum rubrarum siccarum ℥j.

Aceti vini optimi ℥viij.

In vase vitreo bene obturato per duas aut tres septimanas solis calori exponantur, postea colentur & fortiter exprimantur.

Usus. *Gargarismata et fomenta repellentia ingreditur.*

ACETUM RUTÆ.

Paretur e foliis siccis, perinde ac acetum rosarum.

Usus. *Est admodum antisepticum.*

ACETUM CAMPHORATUM.

R. Camphoræ ʒj.
Cum aliquot guttis spiritus vini
solvatur & terendo sensim admisceantur
Aceti vini ℥x.

Usus *Est antisepticum ad gangrænam et emphysemata putrida.*

ACETUM ARMORACIÆ.

R. Radicis armoraciæ recentis. ℥j.
Aceti vini ℔j.

M. Maceretur sub terra quatuordecim diebus.

Usus. *Laudatur ad curandas lentigines faciei, si omni vespere facies hoc aceto lavetur.*

ACETUM SAMBUCI.

Paretur e floribus recenter siccatis, eodem modo ac acetum rosarum.

Usus. *Ingreditur gargarismata resolventia.*

ACETUM VINI CONCENTRATUM.

Hyeme acetum in vase terreo, vel ligneo, intenso frigori exponatur, donec forte tertia vel quarta pars congelaverit. Quod supereſt fluidi in medio contenti, perfracta glacie

effusum, destillationi e retorta vitrea subjiciatur.

Usus. *Ad sistendam haemorrhagiam, quæ ex alveolo post evulsionem dentis, vel in scorbuticis ex faucibus subinde contingit, adhiberi potest.*

ACETUM VINI DESTILLATUM.

R. Aceti vini fortis, ℔ xv.

Destilletur e retorta magna vitrea lento igne. Prodit primo phlegma, quod abjiciendum. Quod sequitur acetum est. Continuetur destillatio donec ex 15 libris sesquilibra supersit, ne aceto ad siccitatem abstracto empyreuma contrahatur.

Usus. *Aceti destillati est, ut concentrati. His acetis refollicari solent ægroti sub operationibus chirurgicis.*

ACETUM LITHARGYRII CONCENTRATUM SEU EXTRACTUM SATURNI.

R. Lithargyrii subtiliter triti ℔ j.
Aceti vini optimi ℔ iij.

In vase figulino probe vitreato coquantur lento igne ad dimidiæ partis consumtionem, sub continua cum spatula lignea agitatione, acetum saturatum per chartam filtretur.

Usus. *Ad exsiccanda ulcera epulota et fungosa adhibetur. Inservit etiam ad condylomata*

venerea

venerea abigenda, si aliquoties de die illinian-tur. Attamen omnia saturnina ob effectum in nervos periculosa.

SPIRITUS VINOSI.

SPIRITUS VINI RECTIFICATUS.

R. Spiritus vini q. v.

E vesica cuprea per alembicum stanneum destilletur, donec phlegma quasi lactescens prodeat. Destillatio cum tertia parte aquæ repeti potest.

Usus. *Ad partes debiles roborandas inservit, putredini, ac ossium cariei resistit.*

SPIRITUS VINI RECTIFICATISSIMUS SEU ALCOHOL VINI.

Spiritus vini rectificatus leni igne abstrahatur ad dimidias.

Usus. *Vasa fortiter contrahit, sanguinem coagulat, hinc ad sistendam hæmorrhagiam adhibetur.*

SPIRITUS VINI CAMPHORATUS.

R. Spiritus vini rectificati ℔ ij.
Camphoræ ℥ ij.
Solvantur.

Usus. *Ad partes relaxatas roborandas applicatur, in articulationum laxitate, in uvula prolapsa, in ulceribus laxis gangrænosis convenit.*

SPIRITUS RORISMARINI SEU ANTHOS.

R. Florum recentium rorismarini ℥vj.
Macerentur leniter & destillentur cum
Spiritus vini rectificati ℔ ij.

Usus. *Ad roborandas partes laxas et dissipandos tumores oedematosos utilis est.*

SPIRITUS SERPILLI.

R. Herbæ serpilli recentis ℔ j.
Vini generosi ℔ v.
Spiritus vini rectificati ℔ j.

Destillentur e cucurbita ad dimidias. Aqua spirituosa novis floribus iterum affundi, & ad tertias abstrahi potest.

Usus. *In lingua et angina paralytica adhiberi solet.*

SPIRITUS COCHLEARIÆ.

R. Cochleariæ recentis contusæ ℔ x.
Spiritus vini rectificati ℔ v.

Macerentur per horas duodecim & destillatio fiat ex B. M. ad libras quinque.

Usus. *In morbis scorbuticis oris et aliarum partium prodest.*

SPIRITUS FORMICARUM.

R. Formicarum mensibus Junio vel Julio captarum ℔ j.
Spiritus vini rectificati ℔ ij.
Misce destillentur ex B. M.

Usus. *Ad contusiones et luxationes aqua, aut oxycrato dilutus adhiberi potest. Sed male ad dolores rheumaticos ac arthriticos sedandos sincerus laudatur.*

SPIRITUS LUMBRICORUM TERRESTRIUM.

R. Lumbricorum terrestrium vivorum ℔ ij.
Spiritus vini ordinarii. ℔ vß.

Poſt digeſtionem per biduum, destillentur leni igne ad dimidias.

Usus. *Ejusdem est utilitatis ac spiritus formicarum.*

SPIRITUS ACIDI.

SPIRITUS VITRIOLI.

R. Olei vitrioli glacialis ℔ j.
Aquæ simplicis ℔ vj.
Misceantur.

Usus. *Sanguinem sistit, si meracus applicetur. Gargarismatibus ac collutoriis antiphlogisticis aut antisepticis admiscetur.*

SPIRITUS NITRI FUMANS.

R. Nitri siccissimi in pulverem triti ℔ iij.

Immittantur retortæ vitreæ siccæ & calefactæ, atque superfundantur guttatim.

Olei vitrioli concentrati ℔ ij.

Juncturis optime clausis fiat destillatio leni arenæ igne. Spiritus sub fumorum rubicundorum specie prodiens in vitro, epistomio vitreo munito, servetur.

Usus. *Est medicamentum causticum, quod ad concretiones terreas et cornua callosa resolvenda adhiberi potest.*

SPIRITUS SALIS CONCENTRATUS.

R. Salis communis in pulverem redacti ℔ ij.

Retortæ vitreæ tubulatæ immissis paullatim affundatur

Olei vitrioli anglici ℔ j.

adoptetur vas recipiens spiritu salis intus humectatum, atque juncturis optime clausis leni arenæ igne destilletur spiritus sub fumorum specie prodiens, qui nova destillatione rectificari potest.

Usus. *Ad verrucas callosas tollendas, ad ulcera scorbutica consolidanda si bis de die penicillo illiniantur, convenit.*

SPIRITUS ALCALINI.

SPIRITUS SALIS AMMONIACI SIMPLEX.

R. Salis ammoniaci in pulverem triti ℔ j.
Cinerum clavellatorum ℔ ij.
mixtis in retorta vitrea affundantur
Aquæ fontanæ ℔ iij.
leni igne destillentur libræ iv.

Usus. *Venenum viperæ venenatæ gallicæ domat. Aqua dilutus cariem, spinam ventosam, mala rhachitica et tumores lacteos curat.*

SPIRITUS SALIS AMMONIACI CUM CALCE PARATUS.

R. Salis ammoniaci depurati ℔ ij.
Calcis vivæ recenter paratæ ℔ iiß.
Seorsim tritis ac mixtis in retorta capaci ac loricata affundantur
Aquæ fontanæ ℔ xv.
retorta manu clausa bene agitetur, tum receptaculo amplo agglutinato mox instituatur destillatio leni igne ad sex vel septem libras spiritus, qui vase optime clauso, servetur.

Usus. *Vocatur etiam* spiritus salis ammoniaci causticus. *Partes animales in tabum solvit ac consumit tophos, terreos resolvit. In hominibus a carbonum vapore suffocatis nec non*

in aquæ submersis tanquam efficax remedium laudabatur, si turundulæ hoc spiritu humectatæ naso immittebantur, orique quatuor vel quinque guttulæ, ingerebantur. Ipse Heisterus *atheromata plane eo resolvebat, vel ea producta inflammatione ad suppurationem movebat.*

SPIRITUS SALIS AMMONIACI VINOSUS.

℞. Salis ammoniaci in pulverem triti ℔ ß.
— tartari ℔ j.
Mixtis in cucurbita vitrea affundantur
Spiritus vini non rectificati ℔ iv.
leni igne ex arena destillentur ℔ ij.

Usus. *Egregium est resolvens, unde in tumoribus cysticis, scrophulosis, atque lacteis resolvendis adhibetur.*

SPIRITUS NEUTRI SEU SALSI.

SPIRITUS MINDERERI.

℞. Salis ammoniaci volatilis q. v.
Paullatim instilletur, subinde agitando
Aceti destillati quantum sufficit, donec non amplius effervescant.

Usus. *Est egregium resolvens, ad dissipandos tumores varios præsertim testiculos venereos laudatur.*

SPIRITUS SALIS AMMONIACI SUCCINATUS.

R. Olei succini rectificati gt. LX.
Spiritus vini rectificati ℥j.
— Salis ammoniaci vinosi ℥xij.
Igne moderato e retorta destillentur.

Usus. *Vulgo hicce Spiritus* Eau de luce *seu* Aqua Luciæ *vocatur. In morsu viperæ venenatæ gallicæ atque viperæ caudisonæ interne adhibitus specificus censetur, ac prosunt in hujus viperæ morsu omnia salia alcalina volatilia.*

SPIRITUS ACIDI DULCIFICATI.

SPIRITUS VITRIOLI DULCIS.

Vidi *Liquor anodinus mineralis.*

SPIRITUS NITRI DULCIS.

R. Spiritus vini rectificatissimi ℔ ij.
Paullatim instillentur
Spiritus nitri fumantis ℥ij.
per aliquot dies digesta destillentur e cucurbita, & destillatio altera vice repetatur.

Usus. *Cariem aufert et ei limites ponit.*

SPIRITUS SALIS DULCIS.

R. Spiritus vini rectificatissimi ℔j.

Phialæ capaci immissæ paullatim affundantur

Spiritus salis concentrati ℥j.

per aliquot dies in vase bene clauso digesta destillationi ex arena subjiciantur, quinquies repetendæ.

Usus. *Cum melle rosaceo mixtus cancrum aquaticum oris curat, atque cum charta emporetica caute applicatus hirsutiem tollit et crines exstirpat.*

NAPHTHA SEU ÆTHER VITRIOLI.

R. Olei vitrioli glacialis.

Spiritus vini rectificatissimi āā ℔iij.

Oleum caute ac paullatim instilletur spiritui; facta per biduum digestione ex retorta leni igne destillentur primum unice sex, quæ auferuntur. Tum recipiente iterum adaptato continuetur destillatio caute ac leni igne, ne adscendat massa, donec appareant striæ in recipiente & bullulæ in retorta. Destillatus liquor commisceatur cum dupla aquæ quantitate; sic in superficie apparet *Naphtha*. Hæc separata & aquæ superfusa & sic ab acido liberata in vase vitreo, obturaculo vitreo munito, servetur.

Usus. *Atrocissimos dolores dentium sedavi*

dum guttam gossypio exceptam denti cariosæ imponerem, Ægroti se frigus glaciale exinde sentire dicebant.

TINCTURÆ.

TINCTURA ALOES.

R. Aloes succotrinæ ℥ij.
Spiritus vini rectificati ℥x.

Stent in leni digestione ad sufficientem extractionem. Filtrentur.

Usus. *Laudatur ad ulcera præprimis verminosa mundanda et consolidanda. Sed longus ejus usus, licet externus, diarrhœam inducit.*

TINCTURA BENZOES.

R. Benzoes contritæ ℥ij.
Spiritus vini rectificati ℔j.

In vase vitreo digerantur igne arenæ per aliquot dies, subinde agitando, & tinctura extracta filtretur.

Usus. *Exhibet cosmeticum, si aquæ instilletur.*

TINCTURA CATECHU.

R. Catechu ℥ij.
Spiritus vini rectificati ℥x.

Per biduum digesta filtrentur.

Usus. *Oris ac gingivarum scorbutum curat.*

TINCTURA SUCCINI.

R. Succini citrini ℥ ij.
Liquoris anodyni mineralis ℔ j.

In leni balnei arenæ calore per triduum digesta filtretur.

Usus. *Cariei limites ponit ac illam curat.*

TINCTURA SERPENTARIÆ.

R. Radicis serpentariæ virginianæ ℥ iij.
Spiritus vini non rectificati ℔ ij.

Absque calore digesta colentur.

Usus. *Putredini admodum resistit, hinc in ulceribus putridis utilis.*

TINCTURA TARTARI.

R. Salis tartari puri ℔ j.

In crucibulo igne acerrimo ad colorem purpureum fusum, immittatur adhuc calidum mortario calefacto, atque cito contrito superinfundantur in phiala.

Spiritus vini rectificatissimi ℔ ij.

Digerantur per aliquot dies balneo arenæ, subinde agitando, & tinctura rubicunda extracta filtretur.

Usus. *Mala rhachitica, et ab illis nata ulcera, fistulas, cariem, spinam ventosam atque tumores curat.*

TINCTURA CANTHARIDUM.

R. Cantharidum in pulverem tritarum ʒij.
Spiritus vini rectificati ℔j.

Digere per biduum & cola.

Usus. *Ad tumores articulares albos, et ad dolores rheumaticos discutiendos efficax est.*

TINCTURA OPII.

SEU

LAUDANUM LIQUIDUM.

R. Extracti opii ʒij.
Croci austriaci ʒβ.
Vini hispanici ℔j.

Infundatur. Post triduum colentur et exprimantur.

Usus. *Cum oleo hypericonis subactum imponatur vulneri, si ab eo tetanus oritur.*

ESSENTIÆ.

ESSENTIA ARISTOLOCHIÆ ROTUNDÆ.

R. Aristolochiæ rotundæ ʒij.
Spiritus vini rectificati ʒx.

Per quadriduum digesta exprimantur & filtrentur.

Usus. *Laudatur in carie.*

ESSENTIA BALSAMI PERUVIANI.

R. Balsami peruviani ℥ j.
Spiritus vini rectificati ℔ j.

Digerantur per triduum, filtrentur.

Usus. *Ad curanda vulnera et ulcera adhibetur.*

ESSENTIA PINI.

R. Extracti summitatum pini aquosi ℥ ij.
Spiritus cochleariæ ℥ x.

Leni calore ad solutionem extracti digesta filtrentur.

Usus. *Ad morbos scorbuticos curandos præscribitur, stomacace oris bene sanat.*

ESSENTIA MASTICHINA.

R. Gummi mastichis ℥ j.
Spiritus vini non rectificati ℔ j.

Digerantur per triduum et filtrentur.

Usus. *Est egregium vulnerarium in ossibus nudatis aut læsis: cariei resistit et ossa sanat. In vulneribus membranarum, tendinum ac ligamentorum sedata inflammatione admodum conducit.*

ESSENTIA CORTICIS PERUVIANI.

R. Corticis peruviani ℥ ij.
Spiritus vini rectificati ℥ x.

Digerantur per quadriduum, exprimantur ac filtrentur.

Usus. *Gangrænæ humidæ ac putredini efficaciter resistit unde in ulceribus ac vulneribus putridis tantæ utilitatis est.*

ESSENTIA MYRRHÆ.

℞. Myrrhæ electæ comminutæ ℥ij.
Spiritus vini rectificati ℔j.

Digerantur per triduum, exprimantur, filtrentur.

Usus. *Vis est antiseptica, abstergens, vulneraria, unde in ulceribus putridis ac carie conducit.*

ESSENTIA EUPHORBII.

℞. Gummi euphorbii ℥ iß.

Digerantur per triduum, filtrentur.

Usus. *Vim habet corrodentem, ad cariem tollendam est efficax.*

EXTRACTA.

EXTRACTUM CICUTÆ.

℞. Herbæ cicutæ recentis q. v.

Exprimatur succus, qui in vase terreo vitreato, leni igne atque sub agitatione continua ad extracti consistentiam coquatur.

Usus. *Extractum aqua dilutum, est in ulcere cancroso efficax medicamentum.*

EXTRACTUM MYRRHÆ.

R. Myrrhæ rubræ in pulverem groſſiuſculum tritæ ℔ β.

irroretur.

Liquoris nitri fixi ℥ j.

Exacte cum ſpatula lignea agitata reponantur in cella per dies 14, quo myrrha penitus ſolvatur. Tum affundatur aqua fervida atque agitetur maſſa. Dein quiete relinquatur, donec ſedimentum craſſius depoſuerit. Aqua ſupernatans tincta ſeparetur: idque repetatur, donec affuſa aqua tingi deſinat. Omnis demum aqua confuſa, moderatiſſimo calore ad extracti conſiſtentiam evaporetur.

Uſus. *Putredini et cariei reſiſtit hinc in ulceribus ab hac cauſa provenientibus eſt optimum remedium.*

EXTRACTUM OPII.

R. Opii thebaici ℥ iv.

Aquæ pluviatilis ℔ iv.

Solvantur in cucurbita vitrea. Solutio per chartam emporeticam filtrata, leniſſimo balnei calore ad extracti ſpiſſitudinem evaporetur.

Uſus. *In odontalgia granum unum denti carioſæ immittitur.*

EXTRACTUM SATURNI.

Vide. *Acetum lithargyrii concentratum.*

FEL TAURI INSPISSATUM.

R. Felis bovini q. v.

Leni igne evaporetur ad extracti consistentiam.

Usus. *Aqua dilutum maculas et pterygia corneæ transparentis delet.*

OLEA EXPRESSA.

OLEUM AMYGDALARUM DULCIUM.

R. Amygdalarum dulcium recentium siccatarum q. v.

Contusis in mortario, include sacculo cannabino, et oleum torculari vel prelo sensim exprime sine igne.

Usus. *Ingreditur unguenta et linimenta emollientia. Prodest in quibusdam maculis corneæ et cutis.*

Eodem modo parantur.

Oleum Amygdalarum Amararum.
— Lini.
— Seminum Hyosciami.
— Olivarum.
— Juglandum.
— Sesami.

OLEUM OVORUM.

R. Ovorum recentium ad duritiem coctorum q. v.

Vitelli exempti, contriti, et in sartagine ad ruſſedinem vel pinguedinis exsudationem assati, adhuc fervidi, sacculo lineo includantur, atque sub prelo calido exprimatur oleum.

Usus. *Laudatur ad curandas fissuras papillarum et labiorum, ad ambustiones et hæmorrhoides dolentes.*

OLEUM NUCIS MOSCHATÆ.

R. Nucum moschatarum contusarum q. v.

Irrorentur aquæ calidæ vapore, & dum adhuc calent, oleum exprimatur.

Usus. *Inservit pro incorporatione balsamorum et linimentorum.*

OLEA STILLATITIA.

OLEUM ANISI.

R. Seminis anisi contusi ℔ ij.

Infunde ac per triduum macera, additis.

Aquæ pluviatilis ℔ viij.

Salis communis ℔ β.

destillentur e vesica et oleum lege artis ab aqua separetur.

Usus. *Ad insecta capitis fuganda adhibetur.*

Eadem

Eadem ferme methodo parantur.

OLEUM SPICÆ.
— CHAMOMILLÆ.
— JUNIPERI.
— CINAMOMI.
— CARYOPHILLORUM.
— CORTICUM AURANTIORUM.
— DE CEDRO.
— LIGNI RHODII.
— CAJEPUTI.

OLEUM SEU SPIRITUS TEREBINTHINÆ.

R. Terebinthinæ claræ ℔ xij.
In vesica cuprea affundantur.
Aquæ fontanæ ℔ XLVIII.

Instituatur destillatio, oleumque æthereum, quod etiam *spiritus therebinthinæ* vocatur, ab aqua separetur.

USUS. *Commendatur hoc oleum ad vulnera cerebri et nervorum, at est acre nimis, ac inflammans. Hinc nisi sedata inflammatione vix adhiberi potest. Resistit putredini et cariei nude ad talia ulcera, necat insecta, hinc etiam ad ulcera verminosa convenit. Securissimum est stypticum, si calidum arteriæ læsæ admoveatur. Tumores frigidos resolvit, partes defendit adversus frigus, unde ad perniones laudatur.*

OLEUM VITRIOLI.

R. Vitrioli q. v.

Leni calore ad flavedinem calcinatum e retorta terrea igne reverberii per octiduum circiter continuato, destilletur. Phlegma & spiritus separatim excipiantur. Oleum, quod demum glaciei forma prodit ab aere sollicite custodiatur.

Usus. *Est acidum causticum, ad cariem et carnem fungosam tollendam adhibetur. Ingreditur aquam stypticam.*

OLEA COCTA.

OLEUM ABSYNTHII COCTUM.

R. Foliorum absynthii juniorum recentium ℔ j.
Olei olivarum ℔ ij.

Digesta per triduum leni igne, sub continua agitatione cum spatula lignea coquantur ad omnem humiditatis consumptionem, quod exploratur, si hujus magmatis aliquantulum in prunas dejectum, statim absque sibillo aut strepitu flammam concipiat. Tunc cito ab igne removeatur, sacco imponatur & sub prelo calefacto omne oleum eliciatur, quod post quietam refrigerationem a fæcibus decantandum est.

Usus. *Ascarides in intestino recto injectione adhibitum necat.*

Ad hanc normam parantur.

Oleum Hyperici Simplex.
Laurinum.
Rosatum.
Lumbricorum Terrestrium.

OLEA INFUSA.

OLEUM LILIORUM ALBORUM.

R. Florum liliorum alborum absque antheris.
Olei olivarum āā. p. æq.

Per aliquot dies macerata ad calorem solis digerantur.

Usus. *Virtute gaudet emolliente, atque anodyna, hinc ad ambusta adhibetur.*

OLEUM SCORPIONUM.

R. Scorpionum vivorum No. LX.
Olei olivarum ℔ j.

Macerentur in loco calido per 14 dies, dein in balneo fervente coquantur, exprimantur, colentur.

Usus. *Hoc oleum ad urinam et calculos pel-*

lendos regioni pubis et renum illinitur, et ad ictus venenatorum animalium commendatur.

OLEA EMPYREUMATICA.

OLEUM CORNU CERVI.

R. Cornu cervi frustulatim concisi q. v.

Immitte retortæ lutatæ vel cucurbitæ ferreæ alembico terreo vitreato munitæ, ac igne aperto gradatim, ad ignitionem retortæ usque, aut cucurbitæ administrato, omnes cum *phlegmate, sale volatili*, ac *oleo, spiritus* evoca, quæ omnia ab invicem separa & seorsim serva.

Usus. *Est oleum penetrans ac resolvens unde emplastris ac unguentis resolventibus immisceri potest.*

OLEUM SUCCINI.

R. Succini contusi vel rasi q. v.

Mixtum cum arena destilletur, igne gradatim aucto. Oleum destillatione elicitum cum muria salis marini e cucurbita vitrea rectificetur.

Usus. *Ad parandam* aquam Luciæ *adhibetur.*

OLEUM TARTARI FOETIDUM.

R. Tartari rubri depurati quantum sufficit ad repletionem retortæ terreæ ad duas tertias.

Recipiente amplo adaptato leni igne destilletur phlegma, quamprimum vero prodeunt nubeculæ albæ, mutato recipiente, juncturis probe clausis, summa ignis vi urgeantur spiritus & oleum, ope vitri separatorii a se invicem separanda, atque seorsim e cucurbita destillanda. *Oleum* cum aqua est rectificandum. Massa post destillationem superstes calcinata *salem tartaria exhibet.*

U s u s. *Penetrantissima est medicina, quæ ad solvendos tophos, tumores cysticos et induratos adhiberi solet, contracturas ligamentorum ac tendinum curare dicitur.*

OLEUM PHILOSOPHORUM.

R. Olei olivarum q. v.

Imbibatur vel lateribus contusis vel cineribus vel calce viva, vel quod præstat, pulvere carbonum duriorum, destilletur per retortam & rectificetur.

U s u s. *Est oleum olivarum materia caustica ignis aliquantulum imprægnatum, remedium est resolvens.*

OLEUM CERÆ.

R. Ceræ flavæ q. v.

Liquata cum arenæ duplo immitatur retortæ ac destilletur. Post liquorem acidum prodit oleum crassum collo adhærens, nisi pru-

nis admotis incalescat. Rectificatur in oleum tenue, si aliquoties per se destilletur ex arena.

Usus. *Butyri adinstar crassum est, hinc linimentum mollissimum et emollientissimum refert, quod illitu suo membra contracta, cutim fissam, et frigore aut igne ambustam sanat.*

OLEA PER DELIQUIUM.

OLEUM TARTARI PER DELIQUIUM.

R. Salis tartari q. v.

In sacculo lineo inclusum suspendatur in cella, atque liquor destillans in patina supposita excipiatur.

Usus. *Est liquor causticus, alcalinus, aqua dilutus abstergens atque antacidus est: hinc mala rhachitica et scrophulosa curat.*

OLEUM CAUSTICUM CAMPHORÆ.

R. Camphoræ tritæ ʒiij.
Spiritus nitri fumantis ʒvj.

Digerantur in vase probe obturato. Facta solutione oleum supernatans separetur.

Usus. *Hic liquor causticus est, ad sarcomata fungosa et ulcerum callosos margines tollendos adhibetur. Bene distingui debet oleum camphoræ ab oleo camphorato, quod vide inter composita.*

OLEUM MYRRHÆ.

R. Myrrhæ electæ q. v.

Solvatur in hydromellite quantum admittit.

Usus. *Est abstergens, putredini resistens, ac vulnerarium in ulceribus putridis et carie utile.*

MELLA.

MEL DESPUMATUM.

Mel commune cum aquæ purissimæ quarta parte coctum, atque probe despumatum, per laneum colum trajiciatur, & ad syrupi consistentiam coquatur.

Usus. *Sic mel ab heterogeneis admodum bene depuratur.*

MEL ROSATUM.

R. Mellis despumati q. v.

Cum aquæ rosarum quarta parte coctum & despumatum, coletur & ad syrupi consistentiam coquatur.

Usus. *Ad oris ulcera detergenda laudatur. Gargarismata et collutoria ideo ingreditur.*

MEL BORAXATUM.

R. Mellis rosarum

Rob dianucum āā ℥ß.

Boracis venetæ ℥j.

Misce.

Usus. Valde efficax ad aphthas sanandas, si pluries per diem os & fauces illiniantur.

MEL CHELIDONII.

R. Mellis despumati ℔j.

Succi chelidonii ℥iij.

Coquantur ad consistentiam syrupi.

Usus. *Magis est detergens quam mel rosatum, ideo injectionibus vulnerariis admiscetur.*

Hac methodo parantur.

Mel Mercuriale.

— Anthosatum.

MEL VERMIUM MAJALIUM.

R. Vermium Majalium Num. cc.

Mellis Virginei. Mensur j.

Colligantur hi vermes, absque manus nudæ attactu, eorumque capita (quæ abjicienda) super vitrum melle impletum dissecentur, ne profluens e vulnere succus desumatur; immittantur dein eorum corpora etiam vitro, & sic serventur. Sumitur etiam loco mellis oleum olivarum, quod dein *Oleum Vermium Majalium* audit.

Usus. *Laudatur contra rabiem caninam.*

OXYMEL SIMPLEX.

R. Mellis despumati ℔ij.

Aceti vini albi ℔ j.
Coquantur ad syrupi consistentiam.

Usus. *Aqua dilutum est egregium gargarisma et collutorium antiphlogisticum.*

LIQUORES.

LIQUOR NITRI FIXI.

R. Nitri puri q. v.
In crucibulo capaci fluenti cochleatim adjiciatur.
Carbonum contritorum quantum sufficit.

Deflagratione facta, materia refrigeretur & sacculo linteo inclusa in cella suspendatur; liquor autem destillans in patina supposita excipiatur.

Usus. *Multa aqua dilutus, et in vesicam urinariam injectus calculum solvere dicitur.*

LIQUOR ANODYNUS MINERALIS.

R. Spiritus vini rectificatissimi ℔ iv.
Guttatim instillando admisceatur.
Olei vitrioli glacialis ℥ viij.

In balneo arenæ per 48 horas digesta, destillentur lenissimo igne, donec bullæ in retorta conspiciantur. Si ulterius protrahitur destillatio, liquori alias grato & fragranti conciliabitur odor sulphureus, ingratus.

Compendiosius paratur hic liquor e naphtha vitrioli parte una cum spiritus vini rectificatissimi partibus novem.

Usus. *In carie ossium laudatur. Aqua dilutus et melle edulcoratus est egregium vulnerarium.*

LIQUOR SEU LIQUAMEN MYRRHÆ.

Vide *Oleum myrrhæ, per deliquium.*

MUCILAGINES.

Extrahantur *maceratione, coctione* vel *contusione* cum menstruis aquosis.

MUCILAGO SEMINUM CYDONIORUM.

R. Seminum cydoniorum ℥ ij.
Aquæ florum rosarum q. v.

Ut fiat l. a. emulsum mucilaginosum.

Usus. *Obvolvens et obliniens est, hinc in excoriatione oculorum, palpebrarum, vel papillarum in mammis laudatur.*

Sic etiam paratur

Mucilago Seminum Psylii.
— Gummi Arabici.
— Radicis Altheæ.

SAPONES.

SAPO VENETUS.

℞. Lixivii saponariorum ℔iij.
Olei olivarum recentis ℔j.
Digerantur l. a. in saponem.

Usus. *Vim habet resolventem, hinc sapo venetus aqua vel lacte solutus ad solvendos tumores induratos et scrophulosos efficax est.*

SAPO STARKEIANUS.

℞. Salis tartari calcinati & adhuc calentis ℥j.
Olei terebinthinæ ℥iij.
Conterantur illico, diu & fortiter in mortario calefacto donec massa saponacea formata sit.

Usus. *Efficaciter resolvit tumores cysticos et articulares.*

AXUNGIÆ.

AXUNGIA PORCINA.

℞. Pinguedinis porcinæ q. v.
Liquefiat & coletur per linteum.

Usus. *Ad unguenta et linimenta constituenda unice fere in hodierna praxi adhiberi solet.*

AXUNGIA VIPERINA.

R. Pinguedinis viperinæ abintestinis separatæ q. v.

Liquefiat & coletur per linteum.

Usus. *Est tenuis axungia, quæ ad unguenta ophthalmica constituenda maximam partem adhibetur, ad delendas maculas corneæ specificum esse censetur.*

MEDULLA OSSIUM.

R. Medullæ ossium q. v.

Liquefiat & coletur per linteum.

Usus. *Est tenuis, penetrans, et emollientissima pinguedo, anchyloses a rigiditate ligamentorum et tendinum pulchre curat.*

SEBA.

Ut axungiæ parantur; sola consistentia solidiore ab his differunt.

SEBUM OVILLUM.

R. Pinguedinis ovilli q. v.

Liquefiat & coletur.

Usus. *Emplastra et unguenta constituit. Perniones, decubitum, ac intertriginem ab attritu curat.*

Sic etiam *Sebum cervinum paratur.*

BUTYRUM CACAO.

R. Fructuum cacao ℔ j.

Leviter in sartagine torrefactos & a cortice mundatos in mortario calido contunde; contusos in

Aquæ communis ℔ viij.

bulire permitte, donec oleum supernatet, quod concretum ex aqua refrigerata colliges.

Usus. *Hoc butyrum non facile rancescit, hinc loco aliarum pinguedinum pro unguentis inserviet. Ad fissuras labiorum et papillarum est egregium medicamentum.*

PULPÆ.

PULPA POMORUM.

R. Pomorum dulcium q. v.

Coquantur in aqua, transprimantur per filtrum.

Usus. *Pro cataplasmate ophthalmico sic paratur.*

ROOB NUCUM.

R. Succi e nucibus viridibus circa festum
Baptistæ extracti
Mellis despumati āā ℔ j.

Coquantur ad justam consistentiam, sub finem addendo.

Cinnamomi ℥ ij.

Usus. *Est remedium roborans et resolvens hinc aqua dilutum, gratum gargarisma constituit.*

ROOB MORORUM.

R. Mora recentia matura q. v.

Pistillo ligneo in vase figulino conquassentur, & exprimantur. Succo expresso addatur sacchari albi dimidia pars, simulque coquantur in vase figulino ad mellis consistentiam.

Usus. *Additur gargarismatibus atque colutoriis antiscorbuticis.*

Ad eandem normam parantur.

Roob Ribium &

— Sambuci.

RESINÆ.

RESINA PINI.

Succus seu lacruma ex pino sylvestri exstillans coctione in resinam fragilem inspissatur.

Usus. *Sic parata sub nomine* resinæ flavæ *pro emplastris adhibetur, vim habet leniter irritantem.*

COLOPHONIUM.

Residuum e destillatione spiritus, seu olei terebinthinæ exhibet *terebinthinam coctam*, quæ lento igne absque aqua cocta vocatur *Colophonium*.

Usus. *Pulverisatum colophonium chirurgis vocatur* digestivum siccum. *Vulneribus et ossibus cariosis inspergitur pro excitanda leni suppuratione. Spiritu vini solutum tumores articulares et vulnera curat.*

SUCCI EXPRESSI.

Plantæ recentes conscinduntur, sacco setaceo inclusæ, prelo ligneo exprimuntur.

Sic pro usu externo parantur

Succus Acetosæ.
— Nasturtii.
— Cochleariæ.

Hi succi aquis vulnerariis, ad ulcera scorbutica curanda, admiscentur.

SALIA ALCALINA FIXA.

SAL SODÆ.

R. Sodæ hispanicæ q. v.

Solvatur in aqua fontana ; solutio filtrata evaporetur, crystallisationi committatur, & demum, quo omne eliciatur alcali, ad siccitatem evaporetur.

Usus. *Ad solutiones alcalinas seu lixivia paranda, quæ in variis malis ab acido, rachitide, aut scrophulis orta, conducunt, adhibetur.*

SAL TARTARI.

Massa poſt destillationem spiritus & olei tartari superstes calcinata exhibet *salem* tartari.

Usus. *Est ejusdem usus ut sal sodæ.*

NITRUM FIXUM.

Vide *Liquorem nitri fixi.*

SALIA ACIDA.

TARTARUS.

Ex musto per fermentationem vinosam nascitur.

CRYSTALLI & CREMOR TARTARI.

R. Tartari albi aqua aliquoties abluti & triti ℔ ij.
Aquæ fontanæ. ℔ xxiv.

Coquantur in vase figulino & fervens adhuc decoctum per manicam Hippocratis trajiciatur

jiciatur

jiciatur in aliud vas terreum. Ubi refriguit, cristallos exhibet, in superficie autem liquoris, crustam *cremoris* nomine notam, qui cum crystallis aqua frigida ablutus, & exsiccatus, super porphyrite in pulverem albissimum teratur.

U s u s. *Cremor tartari aqua multa coctus, et melle rosaceo edulcoratus, collutorium antiphlogisticum et abstergens exhibet, in aphthis putridis et stomacace oris utile.*

SALIA NEUTRA.

Salia neutra artificialia pro usu externo vix adhibentur, & de usu salium neutrorum nativorum vide *materiam chirurgicam.*

NITRUM DEPURATUM.

Nitrum leni calore solvatur in aqua fontana, solutio evaporetur ad cuticulam, coletur & crystallisationi relinquatur.

U s u s. *Nitrum depuratum pro gargarismate et clysmate antiphlogistico præscribitur.*

SALIA VOLATILIA SICCA.

SAL VOLATILIS SALIS AMMONIACI SICCUS.

R. Salis ammoniaci ℔ ij.
Cretæ puriſſimæ ℔ iv.

Sublimentur e retorta igne forti.

Usus. *Ad excitandos spiritus animales, ut sal cornu cervi, naribus teneri poteſt.*

SAL VIPERARUM VOLATILE.

R. Viperarum exsiccatarum q. v.

Destillentur ut cornu cervi.

Usus. *Ad morsum viperæ gallicæ et caudisonæ est præsentiſſimum remedium.*

SAL CORNU CERVI VOLATILE.

R. Fragmentorum cornu cervi q. v.

Fiat destillatio igne gradatim aucto; adscendent spiritus, sal, & oleum. Oleo separato sal & spiritus simul mixti iterum lenissimo calore & caute aliquoties destillentur, ut uterque purus evadat; spiritus nempe instar aquæ limpidus, sal autem candidissimus.

Usus. *Uti omnia alcalina ad mala a scrophulis vel acrimonia acida orta, conducit.*

SPONGIÆ PRÆPARATÆ.

Spongiæ pro usu chirurgico sic parantur.

SPONGIA PRÆPARATA.

Spongia tenuis exsiccata ac repurgata ceræ flavæ liquefactæ immergatur, ac fortiter exprimatur.

Usus. *Exinde scindantur turundæ parvæ, quæ* dilatatoriæ *vocantur, angusta etenim vulnerum, ulcerum, ac fistularum orificia intumescendo dilatant.*

AGARICUS PRÆPARATUS.

Agaricus e caudice quercus collectus, a cortice externo albo & duro, nec non fistulosa substantia separatus, discissus, mallei ictibus submittatur, donec adeo mollescat, ut in minores partes discerpi queat.

Usus. *Est remedium stypticum, si arteriæ vulneratæ ipsi lamellatim imponi potest.*

BOVISTA PRÆPARATA.

Parenchyma molle, spongiosum ac pulverulentum, quod sub cute externa hujus fungi est, separetur, ac conservetur.

Usus. *Ad sistendum sanguinem arteriæ vulneratæ imponitur.*

PRÆPARATA PRO PULVERISATIONE.

Medicamenta, quæ sequuntur, ob duritiem nimiam arte pharmaceutica pro *pulveriſatione* parari debent.

CORALLIA ALBA ET RUBRA PRÆPARATA.

In mortario ferreo in pulverem tuſa, ſuper porphyritem, affuſa interdum aqua, ſubtiliſſime lævigentur, donec nullum edant inter dentes ſtridorem, & exſiccentur.

Usus. *Sic parata ad pulveres dentifricios adhibentur.*

LAPIDES CANCRORUM PRÆPARATI.

Lapides cancrorum aqua fontana aliquoties abluti, & iterum ſiccati, in pollinem terantur, atque per linteum trajiciantur.

Usus. *Sic parantur pro pulveribus exſiccantibus, qui ulceribus inſperguntur.*

LAPIS CALAMINARIS PRÆPARATUS.

R. Lapidis calaminaris electi q. v.

Repetitis vicibus in crucibulo candeſcat, &

aqua communi exstinguatur. Deinde super porphyritem admista aqua lævigetur.

Usus. *Siccat et adstringit, hinc collyriis, unguentis et emplastris admiscetur.*

SUCCINUM PRÆPARATUM.

Succinum ablutum, iterumque exsiccatum, & tritum, affuso pauxillo aquæ, super porphyritem in pollinem tenuissimum teratur & exsiccetur.

Usus. *Sic inspergitur vulneribus tendinum et ligamentorum.*

GALBANUM DEPURATUM.

Tempore gelido conteratur galbanum & per cribrum trajiciatur.

Usus. *Sic pro emplastris paratur.*

GUMMI AMMONIACUM DEPURATUM.

R. Gummi ammoniaci ℔ β.
Aquæ puræ ℔ j.

In vase fictili vitreato leniter coquantur. Soluta colentur & exprimantur, lenissimoque calore exsiccentur.

Nota. Si loco aquæ acetum simplex vel scilliticum fuerit adhibitum, vocatur *Gummi ammoniacum aceto simplici* vel *aceto scillitico depuratum.*

U s u s. *Sic paratum commodissime emplastris admisceri se sinit.*

SCILLA PRÆPARATA.

Radices scillæ recentes & a corticibus purgatæ, singulæ involvantur pastæ farinaceæ & in clibano coquantur. Teneræ factæ, cultello ligneo ab invicem separatæ in umbra siccentur.

U s u s. *Sic parata scilla commode pulverisari potest; drachma una hujus pulveris clysmati addita egregium clysma irritans constituit, quod in commotionibus cerebri et herniis incarceratis magni est usus.*

TUTIA PRÆPARATA.

Tutia repetitis vicibus in crucibulo candefacta, iterumque in aqua super marmor lævigetur.

U s u s. *Sic paratur tutia pro collyriis, alias sua duritie sensillissimam oculi superficiem læderet.*

PRÆPARATA PER USTIONEM.

ALUMEN USTUM.

R. Aluminis crudi q. v.

Calcinetur in olla fictili nova, donec totum efferbuerit, neque amplius spumam emittat, sed leve atque porosum evaserit.

Usus. *Virtute adstringente et corrodente gaudet, in forma pulveris subtilis ad carnem luxuriantem coercendam vel consumendam adhibetur; interdum quoque dentifriciis detersivis modice admiscetur vel gingivis luxuriantibus caute applicatur.*

VITRIOLUM CALCINATUM.

R. Vitrioli romani q. v.

Calcinetur ad albedinem.

Usus. *Est medicamentum admodum stypticum, hinc ad hæmorrhagiam narium sistendam, aqua solutum in nares injicitur.*

COLCOTHAR VITRIOLI.

Est terra rubra metallica post destillationem acidi vitriolici superstes.

Usus. *Adstringit et exsiccat, hinc emplastra vel unguenta roborantia ingreditur, cum myrrha in aqua calcis et vino coctum, aquam vulnerariam pro pauperibus constituit.*

TERRA VITRIOLI DULCIS.

R. Colcotharis vitrioli q. v.

In aqua per aliquot horas infusa bulliant, & post subsidentiam decantentur; quod toties est repetendum, donec aqua insipida evaserit. Residuum exsiccetur.

Usus *est in emplastris exsiccantibus.*

CORNU CERVI USTUM.

Cornu cervi in majora frusta dissectum, aperto igne ad albedinem calcinetur, deinde in mortario ferreo contusum, affusa aqua super porphyritem subtilissime lævigetur, exsiccetur, & in pulverem teratur.

Usus. *Est egregius pulvis stypticus ad compescendam hæmorrhagiam, vel exsiccanda ulcera.*

CALX VIVA.

Lapis calcareus in calcem vivam uritur.

Usus. *Ad aquam calcis et pastam ad nævos parandam.*

PRÆPARATA METALLICA.

LITHARGYRIUM ARGENTI.

Plumbum inter depurationem argenti *semivitrificatum* est.

Usus. *Ad parandum extractum saturni adhibetur.*

MINIUM.

Paratur ex cerussa citrina ad rubedinem calcinata.

Usus. *Ingreditur varia emplastra.*

CERUSSA VENETA.

Ex plumbo vaporibus acidorum exposito, aut iisdem soluto paratur.

Usus. *Exsiccat et adstringit, ingreditur unguenta et emplastra exsiccantia.*

SACCHARUM SATURNI.

R. Minii ℔j.
Aceti vini destillati ℔viij.

Coquantur in vase plumbeo donec acetum satis dulcescat Colata evaporentur & crystallisationi committantur.

Usus. *Valde adstringit, hinc collyria adstringentia ingreditur.*

ÆRUGO SEU VIRIDE ÆRIS.

Ex cupro mediantibus vinaceis corroso paratur.

Usus. *Vim habet leniter corrodentem et adstringit, hinc unguenta et aquas detergentes ingreditur.*

MARS SOLUBILIS.

R. Limaturæ martis purissimæ.
Crystallorum tartari, ãã p. æq.
Aquæ pluviatilis. q. s.

Ut formetur massa in B. A. exsiccanda, quæ deinde trita, madefacta, & aliquoties

exsiccata, fatiscit tandem in pulverem impalpabilem.

Usus. *Est remedium roborans unde fomentis roborantibus additur.*

GLOBULI MARTIALES.

Vide *Composita* de globis.

LAPIS INFERNALIS.

Vide *Composita* de lapidibus.

MERCURIUS GUMMOSUS.

R. Mercurii vivi ʒj.
Gummi arabici pulverisati ʒiij.
Syrupi Cich. c. rheo ℥ β.

Conterantur in mortario marmoreo donec mercurius penitus in mucum abeat.

Usus. *Sic contra morbos venereos aqua vel lacte dilutus forma lavamenti, peniluvii, gargarismatis vel forma linimenti adhibetur.*

MERCURIUS SUBLIMATUS CORROSIVUS.

R. Mercurii vivi ℔ v.
Olei vitrioli anglici ℔ iij.

Abstracto per retortam liquore ad siccitatem, massæ residuæ albæ in mortario vitreo admisceantur.

Salis marini decrepitati ℔ iv & β.

Sublimentur in cucurbita capaci, alembico instructa.

Usus. *Est sal summe causticum, hinc externe forma adspersginis non adhibetur, facit etenim gangrænam, convulsiones, mortem; sed pauca quantitas aqua vel alio liquido soluta tuto adhibetur.*

MERCURIUS PRÆCIPITATUS RUBER.

R. Mercurii vivi ℔ j.
Spiritus nitri ℔ ij.

Soluta ex retorta abstrahantur ad siccitatem, igne postremo in tantum aucto, donec mercurius in fundo retortæ æqualiter induxerit rubrum splendidumque colorem.

Usus. *Est etiam mercurius causticus, sed non adeo facile ac sublimatus absorbetur, hinc forma adsperginis vel unguenti contra morbos venereos et carnem fungosam adhiberi solet.*

MERCURIUS PRÆCIPITATUS ALBUS.

R. Mercurii sublimati corrosivi.
Salis ammoniaci aa p. æq.

In aqua simul solutis ac filtratis instilletur solutio salis alicujus alcalini fixi; pulvis inde excussus abluatur ad perfectam dulcedinem.

Usus. *Ad curandos lichenes, scabiem, herpetem et tophos venereos in unguento adhibetur.*

MERCURIUS DULCIS.

℞. Mercurii sublimati corrosivi
— vivi āā. p. æq.

Terantur exactissime & diutissime invicem, donec nulli globuli mercuriales conspiciantur, & mixtura colorem cinereum referat. Immittantur cucurbitæ, ut ejus fundum non ultra tres quatuorve digitos superent; hinc balneo arenæ commissa sublimentur. Ex sublimato ea pars aufferatur, quæ tentamine perfecta dulcificata & pura deprehenditur.

Usus. *Est medicamentum leniter corrodens, ulceribus venereis lardaceis seu caseosis inspersum cito puritatem adfert. Aqua dilutum egregie ulcera venerea curat.*

ÆTHIOPS MINERALIS.

℞. Mercurii vivi purissimi
Florum sulphuris āā p. æq.

Misceantur intime in mortario vitreo, vel lapideo cum pistillo simili, aut ligneo mundo, donec mercurius disparuerit.

Usus. *Ulceribus venereis sordidis inspersus illa purificat. Sacharo mixtus æthiops subinde deglutitus ulcera, vulnera faucium sanat.*

CINNABARIS FACTITIA.

R. Florum sulphuris ℔ j.

In vase ferreo capaci leni igne fluentibus addantur paullatim.

Hydrargyrii calefacti ℔ iiiß.

Spatula ferrea assidue agitando misceantur. Mox adaptetur operculum ligneum ne flammam concipiat materia, quæ nondum frigefacta teratur in pulverem & aliquoties sublimetur.

Usus. *Ulcera venerea et tophi fumo cinnabarino subinde curantur.*

FLORES ZINCI.

R. Zinci q. v.

Fundatur in crucibulo igne aperto, flores superficiei metalli innatantes cochleari æneo vel argenteo eximantur, donec omne metallum consumptum fuerit.

Usus. *Hæc calx metallica ad* ℈ j *in unica aquæ rosarum diluta collyrium constituit antiphlogisticum.*

NIHILUM ALBUM SEU POMPHOLYX.

Est flos Zinci albus inter fusionem minerarum Zinci superne lateribus camini adhærens, atque inter fusionem orychalci, instar fumi albi rimas fictilium penetrans.

Usus. *Ad collyria et emplastra exsiccantia adhibetur.*

TUTIA SEU NIHILUM GRYSEUM.

Est sublimatum Zinci cinereum in præparatione orychalci interne lateribus fornacum adhærens.

Usus. *Vires habet exsiccantes et repellentes, ad oculorum inflammationes commendatur.*

HEPAR ANTIMONII.

R. Antimonii crudi
  Nitri aa p. æq.

Seorsim in pulverem trita probe commisceantur, ollæ magnæ, seu mortario ferreo injiciantur, atque sub dio pruna admota accendantur. Facta detonatione materia refrigerata in pulverem redigatur.

Usus. *Parantur exinde balnea artificialia et lavatoria, quæ morbos cutaneos egregie curant.*

CROCUS METALLORUM SEU ANTIMONII.

R. Antimonii crudi
  Nitri crudi aa ℔j.

Separatim trita misceantur, & vasi ferreo aut crucibulo injecta, pruna accendantur.

Tum materia rubescens aqua calida edulcoretur & siccetur.

Usus. *Ejus infusum aquosum nonnulli in ophthalmia et aliis oculorum vitiis commendant.*

BUTYRUM ANTIMONII.

R. Mercurii sublimati corrosivi ℔ iij.
Antimonii hungarici electi ℔ j.

Seorsim primum in pulverem redacta, exactissima tritura commisceantur in mortario lapideo vel vitreo, cavendo a vaporibus exhalantibus. Immittantur retortæ vitreæ lati brevisque colli, cujus tertia saltem pars vacua remaneat. Adaptato ac lutato recipiente, primum lenis, tum fortior ignis administretur gradus, donec liquor, retortæ collo glaciei instar adhærens, penitus expulsus fuerit, qui nimium concrescens, collique oppilationem minitans, pruna interdum caute admota liquefactus in vas recipiens propellatur. Quamprimum vero vapores rubri ascendunt, tunc processus finiatur.

Usus. *Est liquidum causticum, quo callus ulcerum. aut fistularum atque condylomata venerea nec non staphyloma corneæ auferi possunt.*

MAGISTERIUM BISMUTHI.

R. Bismuthi contusi in fragmenta q. v.

Aquæ fortis q. s.

Solvantur sensim ac frigide. Hujus solutionis pars una cum XVI partibus aquæ claræ diluatur & reponatur, donec sua sponte aut addito spiritu vini præcipitatum album ac splendens deponatur. Hoc exemptum multoties aqua abluatur.

Usus. *Est famosum ac optimum cosmeticum, quod unguento pomato subactum ad celandos in facie nævos subinde adhiberi solet.*

PHARMACIÆ
CHIRURGICÆ
PARS SECUNDA.
SEU
DE MEDICAMENTIS COMPOSITIS.



ELENCHUS

COMPOSITORUM GENERALIS.

I. AQUÆ compositæ.	Zuſammengeſetzte Wäſſer.
II. Tincturæ.	Tinkturen.
III. Liquores.	Liquors.
IV. Balsama.	Balſame.
V. Olea composita.	zuſammengeſetzte Oele.
VI. Mucilagines.	Schleime.
VII. Spiritus.	Geiſter.
VIII. Species.	Species.
IX. Fomenta humida.	naſſe Bähungen.
X. — sicca.	trockne Bähungen.
XI. Cataplasmata.	Breyumſchläge.
XII. Gargarismata.	Gurgelwäſſer.
XIII. Collutoria.	Mundwäſſer.
XIV. Injectiones.	Einſpritzungen.

XV.	Clysmata.	Clyſtire.
XVI.	Lavatoria.	Waſchwäſſer.
XVII.	Balnea artificialia.	künſtliche Bäder.
XVIII.	Vaporationes.	Dunſtbäder.
XIX.	Embrocationes.	Tropfbäder.
XX.	Suffitus.	Räucherungen.
XXI.	Pulveres.	Pulver.
XXII.	Emplastra.	Pflaſter.
XXIII.	Cerata.	Wachspflaſter.
XXIV.	Unguenta.	Salben.
XXV.	Linimenta.	Linimente.
XXVI.	Electuaria.	Latwergen.
XXVII.	Suppositoria.	Stuhlzäpfchen.
XXVIII.	Trochisci.	Zeltlein.
XXIX.	Lapides.	Steine.
XXX.	Globi.	Kugeln.
XXXI.	Pastæ.	Teige.
XXXII.	Candellulæ.	Kerzen.

ELENCHUS
COMPOSITORUM SPECIALIS.

AQUÆ COMPOSITÆ.

AQUA vulneraria vulgaris.	gemeines Wundwaſſer.
— papalis.	Päpſtliches Wundwaſſer.
— Thediana.	Thedens Wundwaſſer.
— calcis chinata.	China = Kalchwaſſer.
— camphorata.	Gekampfertes Waſſer.
— stiptica.	Blutſtillendes Waſſer.
— vulneraria mercurialis.	Mercurialwundwaſſer.
— phagadænica.	Geſchwürwaſſer.
— caustica ad condylomata.	Aetzwaſſer für die Feigwarzen.
— mercurialis nigra.	Schwarzes Merkurialwaſſer.
— antipshorica.	Waſſer wider die Krätze.
— fortis mercurialis.	Mercurialſcheidwaſſer.
— vulneraria cicutæ.	Schierlingwundwaſſer.
— ophthalmica vitriolata.	Vitriolaugenwaſſer.

Aqua ſulphurea.	Schwefelwaſſer.
— — alba.	weißes Augenwaſſer.
— — cærulea.	blaues Augenwaſſer.

Tincturæ compositæ.

Tinctura gingivalis balſamica.	balſamiſche Zahnfleiſchtinctur.
— laccæ.	Lacktinctur.
— odontalgica.	Zahnſchmerztinctur.
— vulneraria vulgaris.	gemeine Wundeſſenz.
— vulneraria ſtahlii.	Stahls Wundeſſenz.

Liquores ſeu ſolutiones.

Liquor meningum Schmuckeri.	Schmukers Hirnwundeneſſenz.
Solutio mercurii dulcis.	verſüßte Queckſilberauflöſung.
— — gummoſi.	Gummichte Queckſilberauflöſung.
— opiata.	Mohnhafte Auflöſung.
— ſublimati ſpirituoſa.	Geiſtige Auflöſung vom äzendem Sublimat.
— ſublimati aquoſa.	wäßrige Auflöſung vom äzenden Sublimat.
— ſalis tartari.	Auflöſung vom Weinſteinſalz.
— lapidis divini.	Auflöſung vom Gottesſtein.

Solutio myrrhæ.	Myrrhenſolution.
— vulneraria.	wundheilende Auflöſung
— balſami vitæ.	Auflöſung vom Lebensbalſam.

Balsama.

Balſamum Arcæi.	Arcäusbalſam.
— Arthriticum.	Gichtbalſam.
— Locatelli.	Locatellbalſam.
— opthalmicum rubrum.	rother Augenbalſam.
— Saint-Yves.	Saint Yves Augenbalſam.
— — vulnerarium.	Augenwundbalſam.
— ſulphuris ſimplex.	einfacher Schwefelbalſam.
— — terebinthinatum.	Terpentin-Schwefelbalſam.
— Commendatoris.	Commandeurbalſam.
— vitæ externum.	äuſſerlicher Lebensbalſam.
— ſaturnium.	Bleybalſam.
— odontalgicum.	Zahnwehbalſam.
— ſaponacenum.	Seifenbalſam.
— mercuriale.	Queckſilberbalſam.

Olea composita.

Oleum hyperici compositum.	zuſammengeſetztes Johanniskrautöl.
— camphoratum.	Campferöl.

Mucilagines.

Mucilago camphorata	Campferſchleim.
— ophthalmica.	Augenſchleim.
Albumen aluminosum	Alauneyweiß.
— spirituosum.	Geiſtiges Firniß.

Spiritus compositi.

Spiritus mastichinus.	Maſtixgeiſt.
— arthriticus.	Gichtgeiſt.
— artiscorbuticus.	Scharbockgeiſt.
— ad hernias.	Bruchgeiſt.
— saponaceus.	Seifengeiſt.

Species.

Species emollientes.	erweichende Kräuter.
— resolventes.	zertheilende Kräuter.
— cephalicæ.	Kopfkräuter.
— adstringentes.	zuſammenziehende Kräuter.
— amaræ.	bittere Kräuter.
— anodynæ.	ſchmerzſtillende Kräuter.
— antiscabiosæ.	Kräuter wider den Grind.

Species vulnerariæ.	Wundkräuter.
— aromaticæ.	gewürzhafte Kräuter.
— roborantes.	ſtärkende Kräuter.
— pro gargarismate.	Gurgelkräuter.

FOMENTA HUMIDA.

Oxycratum.	Eſſigwaſſer.
Oxycratum spirituosum.	geiſtiges Eſſigwaſſer.
Vinum aquatum.	Weinwaſſer.
Fomentum ex herbis resolventibus.	Bähung von zertheilenden Kräutern.
— rubrum.	rothe Bähung.
— ex fæcibus vini.	Weinhefenbähung.
— ex herbis cephalicis.	Bähung von Kopfkräutern.
— ex herbis amaris.	Bähung von bittern Kräutern.
— emolliens.	erweichende Bähung.
Fomentum adstringens.	zuſammenziehende Bähung.
— martiale.	Stahlbähung.
Fomentario frigida.	kalter Ueberſchlag.

FOMENTA SICCA.

Fomentatio sicca ad erysipelas.	trockene Bähung wider den Rothlauf.
Farinæ emollientes.	erweichende Mehle.
— resolventes.	zertheilende Mehle.

Cataplasmata.

Cataplasma lacteum.	Milchbreyumſchlag.
— emolliens.	erweichender Breyumſchlag.
— maturans.	zeitigender Breyumſchlag.
— resolvens ad scirrhos.	Skyrrhus zertheilender Breyumſchlag zum
— resolvens.	zertheilender Breyumſchlag.
— saponaceum.	Seifenbreyumſchlag.
— vesicatorium.	Blaſenziehender Breyumſchlag.
— ex bryonia.	Zaunrübenbreyumſchlag.
— ex dauco.	Möhrenbreyumſchlag.
— antisepticum.	Fäulniß hemmender Breyumſchlag.
— roborans.	ſtärkender Breyumſchlag.
— pomaceum.	Aepfelbreyumſchlag.

Gargarismata.

Gargarisma ordinarium.	gemeines Gurgelwaſſer.
— acetosum.	Eſſiggurgelwaſſer.
— emolliens.	erweichendes Gurgelwaſſer.

Gargarisma cum spiritu salis ammoniaci.	mit Salmiak verſetztes Gurgelwaſſer.
— leniens.	linderndes Gurgelwaſſer.
— vulnerarium.	wundheilendes Gurgelwaſſer.
— antisepticum.	Fäulnißhemmendes Gurgelwaſſer.
— adstringens.	zuſammenziehendes Gurgelwaſſer.
— mercuriale.	Queckſilber Gurgelwaſſer.

COLLUTORIA.

Collutorium antiscorbuticum.	Scharbocksmundwaſſer.
— rutaceum.	Rautenmundwaſſer.
— sinapinum.	Mundwaſſer mit Senf.
— odontalgicum.	Zahnſchmerzwaſſer.

INJECTIONES.

Injectio auricularis detergens.	reinigendes Ohrenwaſſer.
— detergens.	reinigende Einſpritzung.
Digestivum liquefactum.	flüßiges Digeſtiv.
Balsamus Arcæi liquefactus.	flüßiger Arcäusbalſam

Injectio balſamica.	balſamiſche Einſprizung.
— mercurialis.	Queckſilber-Einſprizung.
— exſiccans.	austroknende Einſprizung

Clysmata.

Clysma ordinarium.	gemeines Clyſtier.
— eccoproticum.	öfnendes Clyſtier.
— purgans.	abführendes Clyſtier.
— ex ſale amaro.	Bitterſalzclyſtier.
— hyſtericum.	Mutterwehclyſtier.
— emolliens.	erweichendes Clyſtier.
— leniens.	linderndes Clyſtier.
— adſtringens.	anhaltendes Clyſtier.
— terebinthinatum.	Terpentinclyſtier.
— opiatum.	Mohnſaftclyſtier.
— nutriens.	nährendes Clyſtier.
— acre.	reizendes Clyſtier.

Lavatoria.

Lotio ſaponacea.	Seifwaſchwaſſer.
— antiſcabioſa.	Krätzwaſchwaſſer.
— ſalina.	Salzwaſchwaſſer.
Lac ſulphuris.	Schwefelmilch.
— virginis.	Jungfernmilch.
Lotio ad tineam capitis.	Grindwaſchwaſſer.

Balnea.

Balneum contra scabiem.	Krätzbad.
— ophthalmicum.	Augenbad.
— sulphureum.	Schwefelbad.
Semicupium emolliens.	erweichendes Halbbad.
Maniluvium lixiviosum.	Laugenhandbad.

Vapores.

Vapor resolvens.	zertheilender Dunſt.
— emolliens.	erweichender Dunſt.

Emprocationes.

Embrocatio discutiens.	zertheilendes Tropfbad.

Suffitus.

Suffitus roborans.	ſtärkende Räucherung.
— antiloimicus.	Peſträucherung.
Pulvis fumalis.	Räucherpulver.
Fumigatio anticimica.	Räucherung wider die Wanzen.

Pulveres.

Pulvis dentifricius.	Zahnpulver.
— discutiens.	ze theilendes Pulver.
— sternutatorius.	Nießpulver.

Pulvis nasalis.	Naſenpulver.
— ad erysipelas.	Rothlaufpulver.
— balsamicus.	balſamiſches Pulver.
— stipticus.	Blutſtillendes Pulver.
— antisepticus.	Fäulunghemmendes Pulver.
— causticus.	Aezpulver.
— anticancrosus Bernardi.	Bernards Krebspulver.
— Plumketi ad cancrum.	Plumkets Krebspulver.
— ophthalmicus.	Augenpulver.
— manualis.	Handpulver.

Emplastra.

Emplastrum album.	Bleyweißpflaſter.
— de ammoniaco.	Amoniakpflaſter.
— anglicanum.	engliſches Pflaſter.
— de cicuta.	Schierlingspflaſter.
— citrinum.	gelbes Zugpflaſter.
— ad clavos pedum.	Hüneraugenpflaſter.
— ad verrucas.	Warzenpflaſter.
— defensivum rubrum.	rothes Defenſivpflaſter.
— diachylon simplex	einfaches Diachylonpflaſter.
— — compositum,	zuſammengeſetztes Diachylonpflaſter.
— diapalmæ.	Diapalmenpflaſter.

Emplastrum diasulphuris.	Schwefelpflaſter.
— diaphoréticum.	Schwitzpflaſter.
— de galbano crocatum.	Galbanpflaſter mit Safran.
— de hyosciamo.	Bilſenkrautpflaſter.
— ischiaticum.	Hüftwehpflaſter.
— de lapide calaminari.	Galmeipflaſter.
— de meliloto.	Melilotenpflaſter.
— mercuriale.	Mercurialpflaſter.
— oxycroceum.	Safranpflaſter.
— consolidans.	Wundpflaſter.
— Saturninum.	Bleypflaſter.
— ad lupiam.	Gliedſchwammpflaſter.
— ad rupturas.	Bruchpflaſter.
— de minio.	Menniapflaſter.
— saponaceum.	Seifenpflaſter.
— de spermate ceti.	Wallrathpflaſter.
— camphoratum.	Campferpflaſter.
— ad mammas.	Milchknotenpflaſter.
— sticticum.	Stichpflaſter.
— stomachicum seu de labdano.	Magen- oder Labdanpflaſter.
— odontalgicum seu ad tempora.	Zahnwehpflaſter.
— opiatum.	Mohnpflaſter.
— vesicatorium.	Spaniſch- Fliegenpflaſter.
— ad fonticulos.	Fontanellpflaſter.

Cerata.

Cera ad labia.	Lippencerat.
Cera viridis.	grünes Wachs.
Ceratum ſaturninum.	Bleycerat.
Ceromel.	Honigcerat.

Unguenta.

Unguentum ægyptiacum.	Aegyptiſche Salbe.
— album ſimplex.	weiße Salbe.
— camphoratum.	weiße Campferſalbe.
— de althea.	Eybiſchſalbe.
— ad ambuſtionem.	Brandſalbe.
— apoſtolorum.	Apoſtelſalbe.
— baſiliconis.	Baſilikonſalbe.
— diapompholigos.	Diapompoliſalbe.
— cicatriſans.	Vernarbende Salbe.
— digeſtivum.	Digeſtivſalbe.
— digeſtivum acre.	ſcharfe Digeſtivſalbe.
— hæmorrhoidale.	Goldaderſalbe.
— de linaria.	Leinkrautſalbe.
— nutritum.	Kühlſalbe.
— de ceruſſa.	Bleyweisſalbe.
— majoranæ.	Majoranſalbe.
— mercuriale ſeu neapolitanum.	Queckſilberſalbe.
— — album.	weiße Queckſilberſalbe.
— conſolidans.	Wundſalbe.
— mundificans.	reinigende Salbe.

Ungu-

Unguentum ophthalmicum.	Augenſalbe.
— nervinum.	Nervenſalbe.
— de nicotiana.	Tobakſalbe.
— paralyticum.	Lähmungſalbe.
— contra pediculos.	Läuſeſalbe.
— rosatum seu pomadum.	Pomade oder Roſenſalbe.
— fuscum.	braune Salbe.
— populeum.	Pappelſalbe.
— ad scabiem.	Krätzſalbe.
— enulatum.	Alantſalbe.
— helleboratum.	Nießwurzſalbe.
— ad vesicatoria.	Blaſenziehende Salbe.
— de ſtyrace.	Storaxſalbe.
— ad perniones.	Froſtſalbe.
— citrinum.	gelbe Queckſilberſalbe.
— Jasseri ad scabiem.	Jaſſeriſche Krätzſalbe.

LINIMENTA.

Linimentum volatile.	flüchtiges Liniment.
— album.	weiſſes Liniment.
— alcalinum.	laugenhaftes Liniment.

ELECTUARIA.

Electuarium dentifricium.	Zahnlatwerge.

Electuarium lenitivum.	öffnende Latwerge.
— ad ſtomacacen.	Mundfaullatwerge.

Suppositoria.

Suppoſitorium vulgare.	gemeine Stuhlzäpchen.
— hæmorrhoides excitans.	Goldadererweckende Stuhlzäpchen.

Trochisci.

Trochisci de minio.	Mennigzeltlein.
— albi Rhaces.	Razes Augenzeltein.
— ad fœtorem oris.	Zeltlein für dem Mundgeſtank.

Lapides.

Lapis divinus.	Gottesſtein.
— infernalis.	Höllenſtein.
— cauſticus.	Aezſtein.

Globi.

Globus ad erysipelas.	Rothlaufkugel.
Globuli martiales.	Stahlkugeln.

Pastæ.

Paſta depilatoria.	Enthärungsteig.
— ad nævos.	Muttermahlteig.

Sinapismus simplex.	gemeiner Senfteig.
— acrior.	ſcharfer Senfteig.

C A N D E L U L Æ.

Candelulæ saturninæ.	Bleykerzen.
— mercuriales.	Queckſilberkerzen.



PHARMACIÆ CHIRURGICÆ

PARS SECUNDA,

VEL

DE MEDICAMENTIS COMPOSITIS.

DE FORMULIS MEDICAMENTORUM GENERATIM.

FORMULA CHIRURGICA eſt remedii externi quoad materiam & formam rationalis conſignatio, juxta quam id a pharmacopœo apte parari atque ægro apte adhiberi poſſit.

Diviſio formularum eſt.

1. in *magiſtrales*, quæ a chirurgo ex tempore præſcribuntur, quo illo indiget.

2. — *officinales*, quæ in officinis magnarum civitatum omni tempore jam paratæ proſtant.

Pos unt denique formulæ in *ſimplices*, quæ ex uno, & in *compoſitas*, quæ ex pluribus ingredientibus conſtant, dividi.

Illa Chirurgiæ practicæ pars, quæ regulas tradit, ſecundum quas conſignatio medicamentorum externorum perfici debet, vocatur *Methodus concinandi formulas chirurgicas.*

Hæc ſcientia ſupponit præviam doctrinam

1. de *indicationibus therapeuticis.*

2. *ſimplicium* & *præparatorum* vim, actionem, uſum, ac proprietates, cognitas.

DE FORMULARUM DOTIBUS GENERALIBUS.

In omni formula 6. partes numerantur.

1. Inscriptio.
2. Præpositio.
3. Designatio Materiæ.
4. Quantitas Materiæ.
5. Subscriptio.
6. Signatura.

INSCRIPTIO.

In fronte chartæ ponitur & arbitraria eſt ut † vel alia nota, a pleriſque omittitur.

PRÆPOSITIO.

Formulæ initium facit nempe R. id eſt: *Recipe* quæ sequuntur.

DESIGNATIO MATERIÆ.

Quæ pars formulæ præcipua eſt, & *ingredientia* indicat. Formula *simplex* unum, *composita* plura ingredientia habet. Ingredientia formulæ dividuntur.

1. in Basim.
2. — Adiuvans.
3. — Corrigens.
4. — Constituens.

Baſis est ingrediens princeps, cujus efficacia chirurgus morbum profligare intendit, hæc ergo simplex vel multiplex eſt. Quod uno vales efficere, ne tentes pluribus.

Adjuvans dicitur quod actionem basis promovet, ejus ergo perpetua necessitas in omni formula haud eſt.

Corrigens vocatur, quod noxiam vel nimiam basis actionem, si opus est, moderatur. Sic activa sæpe aliis miscentur, ne nimium irritent; nec hoc in omni formula necessarium.

Conſtituens est quod basim & alia ingredientia in debitam formulæ desideratæ consistentiam, quandoque & molem redigit. Conſtituens ergo in plurimis formulis necessa-

sarium censetur, præsertim in emplastris & unguentis.

Ordo ingredientium sic scribitur.

1. Ut cuivis ingredienti singularis detur linea, nec plura in eadem ponantur.

2. Ingredientia ejusdem speciei, ut radix radici, aqua aquæ sibi proxime subjungantur.

3. Omnia & præcipue dosis diſtincte, lecta facilia & orthographice scribantur, melius est vulgaribus litteris quam characteribus nisi usitatissimis & omnibus notissimis scribere.

QUANTITAS MATERIÆ.

Hæc eſt duplex; *generalis*, quæ integram formulam complectitur, *specialis*, cuique ingredienti propria, vel pluribus communis eſt. Vocatur etiam *dosis*, & cuique ingredienti ſtatim apponitur. Vide *Tabulam de pondere et menſura.*

SUBSCRIPTIO.

Hæc infra ingredientia ponitur. Pharmacopæum docet, quæ formulæ *species* & *quomodo* hæc parari & in quo vase excipiente exhiberi debeat. Et sic subscribitur *m. f. empl. d. a. ch.* id eſt: misce fiat emplaſtrum detur ad chartam, vel *m. f. ung. d. a. ſict.* id eſt: misce fiat unguentum detur ad fictile.

SIG-

SIGNATURA.

Hæc infra subscriptionem idiomate ægroto vel ejus assistentibus noto ponitur. Exponit formulæ titulum, vehiculum, efficaciam, & adhibendi modum. Et incipit littera S. id eſt: signetur v. g. S. *emplastrum resolvens linteo illiniendum magnitudine floreni, mane et vesperi recens et calefactum tumori imponendum.*

Demum dies mensis, annus & chirurgi nomen ad calcem formulæ addi solet.

MEDICAMENTA COMPOSITA.

AQUÆ COMPOSITÆ.

Sub nomine *aquarum compositarum* liquida medicata, quæ maximam partem ad vulnera & ulcera curanda adhiberi solent in officinis pharmaceuticis asservantur.

Basis pro intentione virtutis varia, & *vehiculum* basis utplurimum aqua est, simplex vel parata.

Subscriptio est misce fiat aqua, detur ad vitrum.

Signatura ope lintei carpti vel splenioli parvi applicetur ad vulnus vel ulcus & ne illico calore partis exsiccetur, desuper ponatur linteum ceratum, tenue, nigrum. Quod omni emplastro praestat, et ejus vitia non infert.

Quantitas Generalis præscribitur ad ℔ß. in aliquibus ad ℥j. vel plures.

Usus *harum aquarum varius est, hinc speciatim indicandus.*

AQUA VULNERARIA VULGARIS

SEU

AQUA SCLOPETARIA.

R. Foliorum recentium Agrimoniæ,
Betonicæ.
Salviæ āā ℥viij.
Tanaceti.
Fœniculi.
Hyssopi.
Menthæ āā ℥vj.
Rorismarini.
Scordii.
Majoranæ.
Florum — Lavendulæ.
Millefolii āā ℥iv.

Concisis affundantur
Vini generosi ℔xx.
Spiritus vini ℔ vj.

Per biduum digesta, destillentur lento igne ex vesica ad dimidias.

Usus. *Ad ulcera et vulnera consolidanda adhiberi solet. Cum oxycrato diluta sugillationes et inflammationes a contusione natas, egregie resolvit.*

AQUA VULNERARIA PAPALIS.

R. Succi recentis herbæ Majoranæ.
Saniculæ.

Betonicæ.
Verbenæ.
Sempervivi majoris.
Pimpinellæ albæ.
Millefolii āā ℔ß.
Mari veri ℥iij.
Salis tartari.
— gemmæ āā ℔ ß.
Cremoris tartari ℥iv.
Aceti vini destillati ℔j.

Aceto vini una & dimidia uncia Aloes, succo betonicæ sal gemmæ, succo verbenæ & millefolii sal tartari & succo pimpinellæ cremor tartari solvuntur, quæ omnia cucurbitæ immissa, lenique calore per triduum liquefacta lege artis destillentur. Capite mortuo in Mortario contuso stent omnia iterum per tres dies & denuo destillentur. Sicque iterato tertia vice hocce labore, in vitro bene clauso usui protractiori asserventur.

Usus. *Laudatur tanquam efficax et stypticum verum remedium, et multa aqua et melle rosato aquæ vulnerariæ instar, quæ nec dolorem nec ardorem excitat.*

AQUA VULNERARIA MINERALIS.

R. Sacchari Saturni ℥ß.
Camphoræ ℥iij.

Solve camphoram in spiritus vini ℥j adde sensim sensimque & vas probe agitando.

Aquæ fontanæ ℔ iv.

Usus. *Ulcera antiqua sanat, cancrum apertum mitigat, et ipsi limites ponit. Linteis tepide applicata mirifice inflammationes resolvit.*

AQUA THEDIANA.

℞. Succi acetosæ.
Spiritus vini āā ℔ iij.
Spiritus vitrioli ℥x.
Sacchari albi ℔j.

m. digerantur octiduo in balneo mariæ, filtrentur.

Usus. *Vis ejus est adstringens, styptica, et vulneraria, unde ad compescendam hæmorrhagiam, moderandam vulnerum nimiam suppurationem et ad consolidanda vulnera omnibus hucusque laudatis aquis vulnerariis palmam præripit. Ad vulnera et ulcera vasorum et tumorum lymphaticorum curanda unicum et efficacissimum mihi est remedium. Plurimas igitur celeberrimo hujus remedii Inventori gratias debemus.*

AQUA CALCIS CHINATA.

℞. Corticis peruviani ℥β.
Aquæ calcis vivæ ℔j.

Digeſtione frigida per viginti quatuor horas facta ſiltretur.

Usus. *Præstans aqua vulneraria ad consolidanaa ulcera, præprimis inveterata crurum et scorbutica ulcera.*

AQUA STYPTICA.

R. Aluminis rupei.
Vitrioli cœrulei aa. ℥iij.
Aquæ fontanæ ℔ ij.

Coquantur ad solutionem; liquori filtrato addantur.
Olei vitrioli anglici ℥ij.

Usus. *Ad compescendas hæmorrhagias adhibetur.*

AQUA VULNERARIA MERCURIALIS.

R. Aquæ rosarum ℔β.
Solutionis mercurii dulcis ℥j.
Mellis rosacei ℥β.

Misceantur.

Usus. *Ad ulcera venerea curanda adhibetur.*

AQUA PHAGEDÆNICA.
SEU
AUREA.

R. Aquæ calcis vivæ recentis ℔j.
Mercurii sublimati corrosivi ʒβ.

Mercurius aqua destillata solutus guttatim sub perpetua agitatione aquæ calcis addatur.

Usus. *Ulcera sordida præprimis venerea detergit et sanat. Non est adeo corrosiva ut vulgo putatur. In nosocomio vindobonensi pauperum omnia vulnera et ulcera solis scorbuticis exceptis hac aqua sanantur.*

AQUA MERCURIALIS NIGRA.

R. Mercurii dulcis ℨj.
Solvetur
Aquæ calcis ℥viij.
In mortario lapides sensim sensimque diligenter terendo.

Usus. *In ulceribus venereis glandis et præputii, non sine usu adhibetur,*

AQUA ANTIPSHORICA.

R. Florum Sulphuris ℥iij.
Salis ammoniaci ℨj.
coque in aqua calcis vivæ ℔v.
ad remanentiam ℔iij.
Colaturæ adde
Mercurii sublimati corrosivi ℈ij.
M. S. Vesperi ad lavandum totum corpus, ubi scabies præsens est.

Usus. *Hæc aqua vulneraria omnium remediorum efficacissima ad sanandam scabiem. Raro exigit curationem ultra tria hebdomata.*

AQUA CAUSTICA AD CONDYLOMATA.

R. Mercurii dulcis.
Aluminis crudi aa. ℥ij.
Camphoræ ʒij.
Aceti destillati.
Spiritus vini rectificati aa. ℔ij.
Misceantur.

Usus. *Condylomata venerea ope penicilli hac aqua bis de die illiniantur, et dein linimento mercuriali tegantur. Condylomata sic et rhagades cutis sensim evanescunt. Cutis sana ab hac aqua non corroditur.*

AQUA FORTIS MERCURIALIS.

R. Mercurii vivi.
Aquæ fortis aa. ℥j.
Reponantur in loco calido ut solvatur mercurius.

Usus. *Caries nigra ossium hac solutione illinita consumitur.*

AQUA CAMPHORATA.

℞. Vitrioli Romani.
Boli armenæ aa. ℥iv.
Camphoræ ℥j

Terantur in pulverem subtilem. Hujus pulveris uncia una immittatur libris quatuor aquæ ebullientis, removeatur dein ab igne, & frigefacta per chartam emporeticam filtretur.

Usus. *Valde utilis in ulceribus cutaneis impuris et inveteratis morbis ossium. Plumaceoli eo humectati ulceribus ponuntur. Potest etiam interdum tanquam fomentum et contra dentes vacillantes usurpari. Est enim antisepticum, antiphlogisticum, detergens, roborans et exsiccans remedium.*

AQUA VULNERARIA CICUTÆ.

℞. Aquæ stillatitiæ cicutæ ℔j.
Extracti Cicutæ ℥j.
Extracti myrrhæ ℥j.
Mellis chelidonii ℥j.

Misceantur.

Usus. *In cancro, in ulceribus scrophulosis, et spina ventosa aperta hanc aquam utilissimam deprehendi.*

AQUA VEGETO-MINERALIS.

R. Aquæ fontanæ ℔ ij.
Extracti saturni ℥j.
Misceantur.

Usus. *Hæc aqua optimum antiphlogisticum externum est, hinc forma fomenti tepide ad omnes tumores inflammatorios et morbos inflammatos ut vulnera, ulcera, fracturas, luxationes et hernias inflammatas vel incarceratas adhibetur. Forma collyrii ophthalmiæ, atque forma gargarismatis anginæ inflammatoriæ medetur.*

AQUA OPHTHALMICA VITRIOLATA.

R. Aquæ rosarum ℔j.
Vitrioli albi ℥j.
Solvatur & filtretur.

Usus. *Ophthalmiæ humidæ, epiphoræ, fistulæ lachrymali veræ et spuriæ, atque ulceribus scorbuticis egregie medetur.*

AQUA SULPHUREA.

R, Florum sulphuris
Salis ammoniaci depurati āā ℥ij.
Aquæ nivalis ℔ iv.
Digerantur calide per viginti octo vel triginta dies.

Usus. *In plerisque morbis cutaneis ab Hunezovský Professore Viennensi efficacissimum remedium celebratum est.*

AQUA OPHTHALMICA ALBA.

R. Aquæ rosarum ℔j.
Vitrioli albi ℥j.
Camphoræ spiritu vini solutæ ℈j.
Misceantur.

Usus. *Ejusdem est virtutis ac præcedens aqua, inveteratas ophthalmias subinde efficacius sanat.*

AQUA OPHTHALMICA COERULEA.

R. Aquæ calcis vivæ ℔j.
Salis ammoniaci ℥j.
Florum viridis æris gr. v.
Solvantur.

Usus. *Est aqua ophthalmica abstergens, unde in maculis ac ulceribus corneæ ac sacci lachrymalis cum fructu adhiberi solet.*

TINCTURÆ COMPOSITÆ.

Tincturæ compositæ uti *simplices* parantur. Præscribuntur, & adhibentur uti aquæ vulnerariæ.

Sed tincturæ, quæ morbis oris inserviunt, frequenter forma collutorii adhiberi solent.

TINCTURA GINGIVALIS BALSAMICA.

R. Myrrhæ electæ
   Succi catechu aa. ℥j.
In pulverem trita irrorentur
   Balsami peruviani ʒj.
Superfusis denique
   Spiritus cochleariæ.
      — vini rectificati aa. ℥iij.
Digerantur & filtrentur.

Usus. *Ad laxitatem et cruentationem scorbuticam gingivarum, cum vel sine melle rosaceo, quod dentes cariosi non semper ferunt, commendatur. Confert etiam in laxitate et exulceratione tonsillarum et uvulæ quam mercurius in faucibus excitavit.*

TINCTURA LACCÆ.

R. Gummi laccæ in baculis ℥j.
Aluminis crudi ʒiß.
Aquæ salviæ ℥iij.
— rosarum ℥iß.

Coquantur lento igne ad extractionem tincturæ rubicundæ & colentur.

Usus. *Convenit in laxitate gingivarum et faucium atque dentium vacillatione.*

TINCTURA ODONTALGICA.

R. Rasuræ ligni sancti ℥iij.
Foliorum nicotianæ ʒiij.
Herbæ serpilli.
origani aa. ʒij.
Caryophillorum aromaticorum ʒj.
Camphoræ ʒß.
Opii ℈j.

Incisis & contusis superinfundantur.
Spiritus vini rectificati ℔ij.
Digesta filtrentur.

Usus. *Efficacissimum dicitur esse remedium contra dolores dentium vel gossypio denti dolenti impositum vel parum calefactum in ore detentum. In odontalgia serosa, quæ cum cariosa sæpissime complicata est, maxime conducit, phlegmatismum excitando.*

TINCTURA VULNERARIA VULGARIS.

R. Tincturæ myrrhæ ℥ß.
— corticis peruviani ℥j.
Misceantur.

Usus. *Ulcera sordida ac cariosa abstergit et sanat.*

TINCTURA SEU ESSENTIA VULNERARIA STAHLII.

R. Essentia succini.
Essentia Myrrhæ aa. ℥j.
Spiritus Terebinthinæ ℥ß.
m. digere loco calido.

Usus. *Est egregium vulnerarium et antisepticum, hinc in denudatione ossium ac cerebri commendatur.*

LIQUORES
SEU
SOLUTIONES.

Sub nomine *liquorum* vel *solutionum* sequentia parantur liquida medicata quorum applicatio ut speciatim indicabo varia est, ut

LIQUOR MENINGUM SCHMUCKERI.

R. Aquæ sclopetariæ ℥ij.
Balsami Commendatoris ℨij.
Mellis rosarum ℥ß.
M. F. liquor S. ope plumaceoli applicetur.

Usus. *Celeberrimus* Schmucker *ad vulnera et nudationes duræ matris ac cerebri hunc liquorem commendat.*

SOLUTIO MERCURII DULCIS.

R. Mercurii dulcis ℥ij.
Aquæ fontanæ ℔iij.
Coquantur in phiala alta per 48 horas.
Colatura servetur.

Usus. *Ulcera venerea lardacea hoc liquore purificantur.*

SOLUTIO MERCURII GUMMOSI.

R. Mercurii vivi depurati ℨj.
Gummi arabici ℨiij.
Syrupi diacodii ℥ß.
m. conterantur in mucum, adde sensim lactis ℔j.
M. Coquantur.

Usus. *Hæc solutio calefacta forma balnei seu peniluvii ad phymosim, paraphymosim ulcera et condylomata penis venerea; forma gargarismatis ad curanda ulcera venerea faucium cum fructu adhibetur.*

SOLUTIO OPIATA.

R. Opii depurati gr. vj.
Aquæ destillatæ ℥vj.
Solvantur.

Usus. *Ad ulcera maligna venerea consolidanda at anquam efficax detergens remedium commendatur a Doctore Michaelis. Vide medizinische Beyträge. P. I.*

SOLUTIO SALIS TARTARI.

R. Salis tartari ℈ij.
Aquæ fontanæ ℔ij.
Solvantur.

Usus. *Forma fomenti resolvit tumores lacteos et indurationes lacteas mammarum. Ulcera rachitica, scrophulosa, et spinam ventosam egregie abstergit.*

SOLUTIO LAPIDIS DIVINI.

R. Lapidis divini ʒij.
Aquæ rosarum ℥x.
M. F. Solutio.

Usus. *Loco aquæ vulnerariæ in ulceribus et vulneribus fungoſis cum summo fructu adhibetur.*

SOLUTIO MYRRHÆ.

R. Extracti myrrhæ ʒij.
Aquæ fontanæ ℔ij.
Coquantur adde.
Mellis rosati ℥ij.
Misceantur.

Usus. *Loco aquæ vulnerariæ ad ulcera et vulnera magna adhibetur.*

SOLUTIO VULNERARIA.

R. Myrrhæ pulverisatæ ʒij.
Lapidis divini ʒβ.
Coquantur in aquæ ℔ij.
Colaturæ adde
Mellis rosacei
Aquæ vulnerariæ aa. ʒj.

Usus. *Est egregium vulnerarium, quod post amputationem alicujus membri vel mammæ ad consolidationem adhiberi solet.*

SOLUTIO BALSAMI VITÆ.

R. Balsami vitæ externi ℥j.
Aquæ fontanæ ℔j.
Solvantur.

Usus. *Forma fomenti adhibitum, est egregium remedium ad tumores articulares atque œdemata discutienda.*

BALSAMA.

Balsamum externum est medicamentum quod ex ingredientibus balsamicis constat, & linimenti vel unguenti consistentiam habet.

Materies hinc sunt balsama nativa, liquida vel solida menstruis pinguibus vel spirituosis soluta.

Proportio ingredientium est ergo diversa, quoad menstruum, prout balsama solida vel fluida adhibentur.

Usus. *Balsamorum est maximus ad ulcera et vulnera curanda. Sed cave ab unguentis balsa-*

micis, quæ rancida jam sunt, hæc enim vulnerum sanationem impediunt.

BALSAMUM ARCÆI.

℞. Terebinthinæ venetæ.
Elemi
Sevi hircini aa. ℥vj.
Olei hyperici ℥ij.
Ceræ citrinæ ʒvj.
Pulveris santali rubri ℥ß.

Mixta leni igne solvantur et colentur.

Usus. *Est linimentum leniter digestivum hinc communiter ad vulnera suppuranda et consolidanda adhiberi solet.*

BALSAMUM ARTHRITICUM.

℞. Balsami vitæ externi ℥j.
Olei Cuililaban gt. I

Agitentur.

Usus. *Ad tumores arthriticos dolores, rheumaticos, luxationes, contusiones et paralyses recentes laudatur, si absque neglecto usu remediorum internorum bonorum pars ægrota affricatur.*

BALSAMUM LOCATELLI.

℞. Ceræ flavæ ℔j.

Lento igne liquefiat in

Olei olivarum optimi ℔ iß.
Dein addantur
Terebinthinæ argentoratensis ℔ iß.
Ac tandem ab igne remotis
Balsami peruviani ℥ij.
Sanguinis draconis in pulverem triti ℥j.
Agitando assidue ad refrigerationem usque.

Usus. *Ad vulnera et ulcera consolidanda laudatur.*

BALSAMUM OPHTHALMICUM RUBRUM.

R. Butyri recentis non saliti & ab omni lactis sero liberati ℥iij.
Ceræ albæ ʒiij.
Liquefactæ super patinam ceræ admisceatur butyrum. Invicem liquatis et in mortario exacte mixtis addantur.
Mercurii præcipitati rubri in subtilissimum pulverem triti ʒij & gr. xv.
Exactissime ac diu terantur, donec perfecte refriguerit.

Usus. *Ad pterygia et maculas corneæ transparentis curandas quotidie bis corneæ affricatur quantitas ac majoris acus capitulum est. Inservit etiam denudatis arrosis et conglutinatis palpebris, si vesperi et mane quantitas ac dimidii pisi marginibus et angulis inungatur.*

BALSAMUM OPHTHALMICUM SAINT-YVES.

R. Balsami ophthalmici rubri ℥iv.
Camphoræ ℈ij.
Tutiæ ʒj.
Olei olivarum ʒß.

Hæc tria ingredientia bene contrita misceantur cum balsamo rubro.

Usus. *Ejusdem eſt usus ac balsamum ophthalmicum rubrum. Subinde in inveteratis ophthalmiis ac aliis oculorum vitiis conducit.*

BALSAMUM OPHTHALMICUM VULNERARIUM.

R. Axungiæ porcinæ ℔j.
Boli armenæ præparatæ
Tutiæ præparatæ
Lapidis calaminaris præparati aa. ℥iij.
Aloes ʒj.
Extracti opii ℈j.
Cerussæ.
Camphoræ aa. ʒß.

Misceantur exactissime.

Usus. *Ad ophthalmiam inveteratam, ad ulcera et vulnera albugineæ vel corneæ tunicæ commendatur.*

BALSAMUM SULPHURIS SIMPLEX.

R. Florum sulphuris ℥j.
Olei lini ℥iv.

Coquantur lenissimo igne ad consistentiam balsami spissioris.

Usus. *Ad scabiem et ulcera scabiosa adhibetur. Est digestivum bonum vilioris pretii; in nosocomiis campestribus Hannoveranis eo magna, recentia et impura vulnera sclopetaria ad bonam suppurationem movebantur.*

BALSAMUM SULPHURIS TEREBINTHINATUM.

R. Balsami sulphuris simplicis ℥j.
Olei terebinthinæ ℥viij.

Digerantur et solvantur.

Usus. *Ad vulnera et ulcera partium tendinossarum et ad parandum emplastrum diasulphuris adhibetur, cave ne hoc balsamum flammam concipiat. ingenti etenim vi exploditur, ut* Hoffmanus *vidit.*

BALSAMUM COMMENDATORIS.

R. Gummi olibani.
Storacis calamitæ aa. ℨij.
Benzoes
Aloes succotrinæ

Myrrhæ electæ.
Radicis angelicæ odoratæ aa. ℥ß.
Florum hyperici.
Balsami peruviani aa. ℥j.
Ambræ griseæ gr. vj.
Moschi gr. x.
Spiritus vini rectificatissimi ℔iij.

Stent in digestione per aliquot dies deinde filtrentur et serventur.

Usus. *Multis laudibus evehitur hoc balsamum ad curanda vulnera capitis, cerebri, ac partium nervorum atque tendinearum.*

BALSAMUM VITÆ EXTERNUM.

R. Saponis veneti sicati & triti ℔j.
Olei terebinthinæ ℔ij.
Salis tartari ℥iij.

Misceantur.

Usus. *Est egregium medicamentum resolvens, tumores cysticos, anchyloses, atque alios tumores frigidos discutit, si uncia una in aquæ ℔j. diluta applicetur forma fomenti, aut stillicidii.*

BALSAMUM SATURNINUM.

R. Olei raparum recenter expressi ℔iß.
Ceræ citrinæ ℔ß.

Invicem solutis & frigefactis addantur sub continua agitatione.

Extracti saturni ℥iij.
Camphoræ ʒß.
M. F. linimentum.

Usus. *Est balsamum exsiccans unde ad vulnera et ulcera fungosa et alia consolidanda ac exsiccanda commendari potest.*

BALSAMUM ODONTALGICUM.

℞. Olei ligni sancti ʒij.
— caryophillorum ʒj.
Opii.
Camphoræ aa. ℈ij.
Olei nucistæ expressi ʒvj.

Opio & camphora pauxillo spiritus vini soluti misceantur cum reliquis.

Usus. *Gossypio exceptum denti carioso cavo inditum destruendo nervos subinde attrocissimos dolores sedat.*

BALSAMUM MERCURIALE.

℞. Balsami Arcæi.
Unguenti mercurialis aa ℥j.
Mercurii dulcis gr. xx.
Misceantur.

Usus. *Ad ulcera venerea consolidanda admodum conducit.*

BALSAMUM SAPONACEUM.

R. Spiritus vini rectificati ℔iv.
Saponis albi hispanici ℥x.
Leni igne ad solutionem digestis addantur.
Camphoræ tritæ ℥ij.
Olei stillatitii rorismarini.
— — origani aa. ℥ß.
Misceantur agitando.

Usus. *Ad tumores cysticos resolvendos est eximii usus. (In diuturnis rheumaticis doloribus hujus et ancbylosi ego ipse sæpius hoc valde efficax deprchendi, si triginta guttæ pluries per diem inungebantur.)*

O L E A.

Sub nomine *oleorum compositorum* sequentia liquida oleosa in officinis parata habentur.

OLEUM HYPERICI COMPOSITUM.

R. Florum hyperici adhuc in gemmis ℔ij.
Vini albi ℔ß.
Olei olivarum ℔iv.

Per triduum macerata decoquantur leni igne, ad omnem humidi consumptionem. Expressis addantur.

Terebinthinæ ℥ij.

Usus. *Inservit pro injectione si in vulneribus suppuratio promoveri debet, hinc est digestivum liquidum.*

OLEUM CAMPHORATUM.

R. Camphoræ ℥j.

Olei amygdalarum dulcium ℥iv.

Terendo solvantur.

Usus. *Crustam et fissuras linguæ, quæ in febribus ardentibus obtingunt, bene emollit; rheumatismos discutit, insecta in meatum auditorium irrepentia necat, subinde odontalgiam sedat. In otalgia et surditate conducit, si aliquot guttulæ auribus instillentur.*

MUCILAGINES.

Sub nomine *mucilaginis* vel *albuminis* præscribi solent sequentia.

MUCILAGO CAMPHORATA.

R. Camphoræ ℥ij.
Mucilaginis gummi arabici ℔j.
Diligenter terendo misceantur.

Usus. *Ad ulcera putrida, gangrænosa et callosa commendatur.*

MUCILAGO OPHTHALMICA.

R. Mucilaginis seminum cydoniorum ℥vj.
Florum zinci ʒij.
M. f. mucilago.

Usus. *Ad ophthalmiam curandam et excoriationem a decubitu natam adhiberi solet.*

ALBUMEN ALUMINOSUM.

R. Aluminis ʒj.
Albuminis ovi.
Aquæ rosarum q. ſ.
Ut lege artis inspissetur, inter lintea oculo applicandus.

Usus. *Est remedium repercutiens, in ophthalmia humida commendatum.*

ALBUMEN SPIRITUOSUM.

R. Albuminis ovi q. v.
Alcoholis vini q. ſ.
Misc. inspissentur in linimentum.

Usus. *Ad præveniendum decubitum laudatur.*

SPIRITUS COMPOSITI.

Sub nomine *spiritus compositi* sequentia liquida præscribi solent.

SPIRITUS MASTICHINUS.

R. Spiritus vini semel rectificati ℥j.
Aquæ stillatitiæ rosarum ℥β.
Mastichis pulverisati ʒiij.
In phiala alta coctum servetur usui.

Usus. *Ossa periosteo nudata in vulneribus a carie præservat, et cariem incipientem curat.*

SPIRITUS ARTHRITICUS.

R. Salis communis ℥ij.
Olei vitrioli ℥j.
— Terebinthinæ ℥ij.
M. destilletur spiritus.

Usus. *Tumores cysticos incipientes resolvit, inveterata atheromata emollit.*

SPIRITUS ANTISCORBUTICUS.

℞. Spiritus tartari optimi ℔j.
— cochleariæ ℥iv.
Olei vitrioli concentrati ʒj.
Mista destillentur ad siccitatem.

Usus. *Hic spiritus aqua dilutus indurationes et tumida crura scorbuticorum resolvit, et multa aqua dilutus stomacen scorbuticam curat.*

SPIRITUS AD HERNIAS.

℞. Aquæ Thedianæ.
Spiritus vini rectificati aa. ʒj.
Misceantur.

Usus. *In herniis simplicibus locus herniæ relaxatus sæpius de die hoc spiritu illiniri aut fomentari potest.*

SPIRITUS SAPONACEUS
SEU
RESOLVENS.

℞. Spiritus rorismarini ℔ij.
Camphoræ ʒß.
Salis ammoniaci ℥iß.
Saponis veneti ʒvj.
M. solvantur.

Usus. *Commendatur ad resolvenda ganglia et alios tumores pituitosos.*

SPECIES.

Sub nomine *specierum* possunt in officinis jam concisa et mixta servari sequentia, e quibus decocta, infusa & alia parari possunt.

SPECIES EMOLLIENTES.

R. Herbæ malvæ.
— althææ.
— verbasci aa. Mj.
Seminis lini.
— fœnugræci aa. ℔β.
Florum sambuci Mij.
Concisis misce.

Usus. *Ad paranda cataplasmata vel fomenta emollientia inserviunt.*

SPECIES RESOLVENTES.

R. Herbæ marubii.
— parietariæ.
— mercurialis aa. Mj.
Florum Sambuci.
— chamomillæ.
— Arnicæ aa. Mβ.
C. m.

Usus. *Fomenta aut cataplasmata resolventia inde parantur.*

SPECIES CEPHALICÆ.

R. Herbæ betonicæ.
— menthæ.
— mellissæ.
— majoranæ.
— serpilli.
— basilici.
— rorismarini.
— salviæ hort. aa. Mij.
Florum rosarum rubrarum.
— balaustiorum.
— lavendulæ.
— cheiri aa. Mj.
— arnicæ Mij.
C. m.

Usus. *Hæ species resolvunt et roborant, hinc in capitis vulneribus, contusionibus atque cerebri commotionibus in formam fomenti cum vino infunduntur.*

SPECIES ADSTRINGENTES.

R. Herbæ alchemillæ.
— plantaginis.
— equiseti aa. Mij.
Radicis bistortæ.

Radicis tormentiltæ aa. ℥iv.
Florum rosarum.
— balaustior. aa. Miij.
C. m.
Usus. *Ad formanda fomenta et cataplasmata roborantia præscribuntur, ut plurimum cum alumine.*

SPECIES AMARÆ.

R. Herbæ absinthii.
— scordii.
— abrotani.
— alliarii aa. Mij.
M. D.
Usus. *Hæ species resolvunt et putredini resistunt, hinc fomenta aut cataplasmata resolventia et antiseptica exinde fiunt.*

SPECIES ANODYNÆ.

R. fol. Hyosciami.
flor. Sambuci aa. ℥β.
Croci.
C. m.
Usus. *Fomenta anodyna exinde parantur.*

SPECIES ANTISCABIOSÆ.

R. Specierum emoll. Mvij.
Herbæ Salviæ.

Herbæ rutæ aa. Mj.
Radicis hellebori albi Mij.
— enullæ Mj
Salis ammoniaci ℥j.
C. m. d. d. ch. ſ.

Usus. *Lavamenta contra scabiem et tineam capitis exinde parari solent.*

SPECIES VULNERARIÆ.

R. Herbæ alchemillæ.
— rutæ.
Florum hyperici aa. Mj.
Conc. m.

Usus. *Decocta vulneraria inde fiunt, quibus vulnera et ulcera injici et elui possunt.*

SPECIES AROMATICÆ.

R. Caryophillorum aromat.
Macis aa. ℥j.
Misceantur.

Usus. *Cum vino rubro fomenta roborantia exinde conficiuntur.*

SPECIES ROBORANTES.

R. Specierum adstringentium.
— cephalicarum aa. Mj.
Misceantur.

Usus. *Possunt exinde cum vino rubro parari fomenta, quæ partes relaxatas roborant. Subinde additur alumen vel sacharum saturni.*

SPECIES PRO GARGARISMATE.

R. Herbæ plantaginis.
— prunellæ aa. ℥j.
— salviæ ℥ij.
— equiseti ℥β.
Florum balaustiorum.
— rosarum rubrarum aa. ℥j.
C. m. d.

Usus. *Decoctum harum specierum cum melle rosaceo anginam incipientem discutit.*

FOMENTA HUMIDA.

Fomentum humidum est liquor medicatus, qui ope lintei quadruplicati calidus vel frigidus parti morbosæ superimponitur.

Materies fomenti est omne liquidum medicatum. Maxime decocta vel infusa huic scopo idonea sunt.

Quantitas generalis ut plurimum ad aliquot libras præscribitur.

Subscriptio est F. Liquor pro fomento vel epithemate.

Vehiculum fomenti est linteum quadruplicatum, vel pannus laneus, qui plus liquidi imbibit et calorem diu servat si linteo duplicato sicco tegatur.

Usus. *Fomentorum multiplex, maxime ad resolvendos tumores et sananda ulcera conducunt.*

OXYCRATUM SIMPLEX.

R. Aceti ex vino.
    Aquæ fontanæ aa. ℔j.
Misceantur.

Usus. *Est commune fomentum, quod inflammationes a causa externa, ut a contusione, fractura, luxatione, et inde natas sugillationes sanguinis egregie resolvit.*

OXYCRATUM SPIRITUOSUM.

R. Oxycrati simplicis calefacti ℔j.
    Spiritus vini camphorati ℥ij.
M. fiat fomentum.

Usus. *Efficacius, quam simplex oxycratum; contusa et sugillata loca resolvit.*

VINUM AQUATUM.

R. Vini albi ℔j.
    Aquæ fontanæ ℔ß.
Misce.

Usus. *Vulnera inflammata et contusa, quibus acetum nimis mordax est, resolvit.*

FOMENTUM EX HERBIS RESOLVENTIBUS.

R. Specierum resolventium Mij.
Aquæ fontanæ ℔ij.
M. coquantur.

Usus. *Hoc fomentum efficacius resolvit, si loco aquæ fontanæ cum oxycrato, vel vino aquata paretur.*

FOMENTUM RUBRUM.

R. Pulveris ad erysipelas ℥j.
Vini rubri vel albi ℔j.
Misc. coquantur.

Usus. *In omni inflammatione a causa externa est egregium fomentum discutiens.*

FOMENTUM EX FÆCIBUS VINI.

R. Fæcum vini recentium ℔j.
M. coquantur.

Usus. *Hoc fomentum roborat, resolvit ac putredini resistit, unde in fracturis cum valida contusione et gangrænosa inflammatione complicatis, est ut vidi, efficacissimum remedium.*

FOMENTUM EX HERBIS CEPHALICIS.

R. Specierum cephalicarum Mij.
infundantur.
Vini albi calidi ℔ij.
Stent per ½ horam in loco calido.

Usus. *Contusiones capitis, faciei aut oculorum egregie resolvit.*

FOMENTUM EX HERBIS AMARIS.

R. Specierum amararum Mj.
Aquæ fontanæ ℔j.
M. coquantur.

Usus. *Adhibetur ut aliud fomentum resolvens, cum spiritu terebinthinæ mixtum ulcera et vulnera verminosa ab his insectis liberat et sanat.*

FOMENTUM EMOLLIENS.

R. Specierum emollientium Mj.
Lactis ℔j.
M. coquantur.

Usus. *Ad inflammationes et indurationes resolvendas et ophthalmiam humidam curandam adhiberi solet.*

FOMENTUM ADSTRINGENS.

R. Aquæ calcis ℔ij.
Aluminis crud. ℥ij.
Misce.

Usus. *Ubi partes relaxatæ contrahi ac roborari debent, convenit, ut in varicibus, hernia, œdemate, prolapsu, laxitate articulationum.*

FOMENTUM MARTIALE.

R. Martis solubilis ℥j.
Aquæ fontanæ ℔ij.
M. solvantur.

Usus. *Convenit ut fomentum adstringens ad laxitates articulationum, œdemata et varices.*

FOMENTATIO FRIGIDA.

R. Aquæ communis ℔xx.
Aceti vini ℔ij.
Nitri puri ℥j.
Salis ammoniaci crudi ℥iv.
M. solvantur.

Usus. *Celebertimus* SCHMUCKER *hac fomentatione cum summa efficacia usus est ad gravia vulnera et contusiones capitis, quæ cum cerebri commotione ac humorum effusione complicabantur, et majorem effectum, quam a fomentis calidis, observavit. Potest hæc fomentatio frigida etiam ad hernias incarceratas adhiberi.*

FOMENTA SICCA.

Fomentum siccum seu *Epithema siccum* est pulvis medicatus, qui crudus vel sacculo inclusus parti morbosæ imponitur.

Materies fomenti sicci est omne siccum, quod in pulverem redigi potest. Farinæ cereales et vegetabilium hic maxime adhibentur.

Quantitas generalis a parte affecta indicatur.

Subscriptio est. Fiat pulvis pro epithemate sicco.

Vehiculum est linteum quadruplicatum, sacculus, cucufa, pulvinar, subinde lectulus ex herbis siccis pro infantibus rhachiticis, pulvinaria integra pro cruribus œdematosis sic parantur.

Sacculi majores *intersui* debent, ne pulvis inclusus conglomeretur, aut versus unum locum coacervetur.

Usus. *Fomenta sicca ad tumores œdematosos, erysipellaceos, et alios a causa inter natos, adhiberi solent*

FOMENTATIO SICCA AD ERYSIPELAS.

R. Farinæ fabarum Mij.
Pulveris florum sambuci.
— chamomillæ aa. Mj.
Misceantur ut f. pulv.
Usus. *Erysipelas discutit, transpirationem ejus acrem auget et absorbet. Subinde additur camphora alcohole vini in pulverem redacta.*

FARINÆ EMOLLIENTES.

R. Farinæ seminum lini.
— — fænugræci aa. part. æq.
Misceantur.
Usus. *Ad paranda cataplasmata emollientia inservit.*

FARINÆ RESOLVENTES.

R. Farinæ fabarum.
— hordei.
— tritici.
— secalis aa. p. æq.
Misceantur.
Usus. *Ad paranda cataplasmata resolventia adhiberi solent hæ farinæ.*

CATAPLASMATA.

Cataplasma est massa pultiformis, quæ fomenti adinstar parti morbosæ imponitur.

Parantur cataplasmata *cruda* & *cocta.*

Materies est quidquid cum liquido subactum in massam pultiformem abit. Hinc vegetabilia cocta vel in pulverem redacta huic scopo maximam partem inserviunt.

Vehiculum pro coctione potest esse, lac, aqua, vinum, oxycratum, aqua vegetomineralis vel oleum molle.

Quantitas vehiculi non determinatur; sed præscribitur q. s. ut fiat cataplasma intermedio linteo vel nudum applicandum.

Quod de cataplasmate cocto, id etiam de crudo seu sine coctione parato notandum est. Denominatio horum subinde aliud nomen obtinet, ut: *Synapismus, Pasta, Epithema molle.*

Quantitas generalis pro dupla dosi sufficere debet, ut ablata una statim alia portio applicari possit.

Consistentia debet pultiformis non nimis tenuis esse, ne a parte diffluat.

Usus. *Cataplasmata efficacius agunt, quam fomenta et diutius calorem conservant: hinc ad*

emolliendos tumores inflammatorios, et scirrhoſos utplurimum adhibentur.

CATAPLASMA LACTEUM.

R. Micæ panis albissimi ℔j.
Lactis q. ſ.
Coquantur in cataplasma.

Usus. *Est admodum emolliens, hinc ad mammas lacte coagulato inflammatas resolvendas commendatur.*

CATAPLASMA EMOLIENS.

R. Micæ panis siliginei in lacte macerati ℔ß.
Vitelli ovorum No. iij.
Croci pulverisati ʒij.
Farinæ seminum lini q. ſ.
Conterendo ſ. cataplasma, quod calefieri debet.

Usus. *Ad emolliendos tumores inflammatorios et duros, aut ad movendam in iis suppurationem adhibetur.*

CATAPLASMA MATURANS.

R. Farinæ seminum lini ℥iv.
Fermenti panis ℥ij.
Gummi galbani vitello ovi soluti ʒj.

Pulpæ ceparum sub cineribus assatarum ℥ij.
Unguenti basiliconis ℥j.
Olei liliorum alborum q. ſ ut f. catapl.
M. conterantur, caleſiant.
Usus. *Ad abscessus inflammatos maturandos adhibetur.*

CATAPLASMA RESOLVENS AD SCIRRHOS.

R. Farinæ seminum lini.
— foliorum cicutæ ãã ℥iij.
Lactis q. s. ad cataplasma.
Usus. *Indurationes mammarum resolvit vel in benignam suppurationem deducit.*

CATAPLASMA RESOLVENS.

R. Farinæ herbarum resolv. ℥vj.
Aquæ fontanæ q. s.
Coquantur ad cataplasma.
Usus. *Tumores inflammatorios egregie resolvit.*

CATAPLASMA SAPONACEUM.

R. Micæ panis ℥viij.
Saponis veneti ℥j.

Lactis q. s.

F. cataplasma.

Usus. *Ad resolvendos tumores frigidos et induratos conducit.*

CATAPLASMA VESICATORIUM.

R. Pulveris tenuissimi cantharidum.

Farinæ tenuis tritici āā ℥j.

Aceti vini q s. fiat catapl.

Usus. *Est cataplasma epispasticum vel vesicatorium, quod ad curandos rheumatismos inveteratos et tumores albos articulares summa cum efficacia adhiberi potest.*

CATAPLASMA EX BRYONIA.

R. Radicis bryoniæ ʒiij.

Florum sambuci ℥j.

Gummi ammoniaci ℥j.

Salis ammoniaci crudi ʒij.

Herbæ cicutæ ℥ij.

Aceti q. s. coquantur ad catapl.

Usus. *Est egregium resolvens, quod ad resolvendos scirrhos, scrophulas, strumas induratas, et tumores articulares commendatur.*

CATAPLASMA EX DAUCO.

R. Dauci sativi q. v.
Fiat rasura, huic adde.
Decocti saturati cicutæ q. s.

Usus. *Cancri fungosi fœtorem et dolorem pulchre emendat.*

CATAPLASMA ANTISEPTICUM.

R. Pulveris antiseptici ℥iv.
Spiritus vini camphorati ℥ij.
Aceti vini q. s. ut f. catapl.

Usus. *Ad gangrænam humidam et tabum putridum commendatur.*

CATAPLASMA ROBORANS.

R. Specierum cephalicarum.
— adstringentium āā Mij.
Martis solubilis ℥β.
Colcotharis vitrioli ℥j.
Vini rubri q. s. ut f. cataplasma.

Usus. *Ad roborandas partes relaxatas præsertim ad laxitatem articulorum commendatur.*

CATAPLASMA POMACEUM.

R. Pulpæ pomorum ℔j.
Camphoræ.
Croci, āā ℈j.

Misceantur in cataplasma.

Usus. *Commendatur ad ophthalmiam siccam.*

GARGARISMATA.

Gargarisma est liquidum medicatum, quod oris et faucium gargarisationi, vel collutioni inservit.

Materies ingredientium, eſt omne liquidum simplex vel compositum, morbo faucium congruum.

Proportio ingredientium eſt, ut in decocto, infuso vel liquore alio.

Applicandi methodus eſt, ut æger gargarisma assumat in cavum faucium: illud vel gargariset vel in illo per aliquod tempus retineat, vel ut ope siphonis in illud injiciatur ab ægroto.

Usus. *Gargarismata in morbis faucium adhibentur.*

GARGARISMA ORDINARIUM.

R. Specierum resolventium pro gargarismate ℥j.

Coquantur cum aquæ fontanæ ℔j.

Colaturæ adde.

Nitri depurati ℨj.
Mellis rosacei ℥j.
Misceantur.
Usus. *Anginam inflammatoriam resolvit.*

GARGARISMA ACETOSUM.

R. Aceti rosacei ℨij.
Aquæ fontanæ ℔j.
Mellis rosacei ℥j.
Misceantur.
Usus. *Est gargarisma antiphlogisticum, quod in angina inflammatoria convenit.*

GARGARISMA EMOLLIENS.

R. Radicis althææ.
Caricarum pinguium āā ℥j.
Lactis vaccini ℔ij.
Coquantur ad remanentiam ℔iß.
Colatura detur.
Usus. *Est gargarisma emolliens, quod adhibetur, si angina in suppurationem abeat.*

GARGARISMA CUM SPIRITU SALIS AMMONIACI.

R. Gargarismatis emollientis ℔ij.
Spiritus salis ammoniaci ℥j.
Misceantur.
Usus. *Observavit Celeberrimus ac Illustrissi-*

mus PRINGLE, *quod gargarismata acida subinde impediant resolutionem anginæ, quia poros excretorios glandularum faucium, in quibus stimulus inflammatorius anginæ residere videtur, contrahunt: in tali casu gargarisma emolliens cum spiritu salis ammoniaci mixtum, relaxando poros, resolvendo mucum inflammatorium et glandulas ad excretionem leniter irritando, mirifice ac cito profuit.*

GARGARISMA LENIENS.

R. Aquæ florum sambuci ℔j.
 Gelatinæ amyli ʒj.
 Syrupi papaveris albi ℥j.
Misceantur.

USUS. *In faucium ardentibus ulcusculis aphthosis, vel in acri salivationis profluvio perutile gargarisma, aut collutorium est. In ulcerum venereorum ardore additur* ʒj. *mercurii gummosi.*

GARGARISMA VULNERARIUM.

R. Specierum vulnerariarum ℥j.
 Aquæ fontanæ ℔j.
Coquantur. Colaturæ adde.
 Tincturæ myrrhæ ʒj.
 Mellis rosacei.
 Aquæ vulnerariæ aa. ℥j.

Misceantur.

Usus. *Faucium et oris ulcera conſolidat.*

GARGARISMA ANTISEPTICUM.

R. Corticis peruviani ℥ij.
Herbæ rutæ p. ij.
Coquantur in aquæ fontanæ ℔ij.
Colaturæ adde.
Camphoræ muco gummi arabici solutæ ʒij.
M. d.

Usus. *In angina maligna, putrida ac gangræscente commendari poteſt.*

GARGARISMA ADSTRINGENS.

R. Radicis Tormentillæ.
Malicorii aa. ʒß.
Coquantur cum Aquæ fontanæ ℔j.
Colaturæ adde.
Aluminis crudi ʒj.
Mellis rosacei ℥ß.
Misceantur.

Usus. *In laxitate faucium, uvulæ, ac amygdalarum commendatur.*

GARGARISMA MERCURIALE.

R. Mercuri vivi ʒß.
Gummi arabici ℥iij.

Syrupi diacodii ℥ß.
Mercurii dulcis gr. vj.
Conterendo subigantur in mucum, adde
Decocti flammulæ jovis ℔ij.
Mellis rosacei ℥j.
Essentiæ myrrhæ ℥j.
M. f. gargarisma.

Usus. *Ulcera faucium et palati venerea, lardacea, maligna sanat. In ozœna venerea cum summa efficacia in nares injicitur.*

COLLUTORIA.

Collutorium eſt liquidum medicamentum, quod in oris cavo detineri, vel quo oris cavum elui debet.

Materies & proportio ingredientium hinc eadem ac in gargarismate.

Usus *est in morbis oris, linguæ et dentium.*

COLLUTORIUM ANTISCORBUTICUM.

R. Aquæ cochleariæ ℥ij.
Spiritus cochleariæ ℥j.
Tincturæ laccæ ℥ij.
Misceantur.

Usus. *Ad curandam stomacacem oris et aphthas scorbuticas adhiberi solet.*

COLLUTORIUM RUTACEUM.

R. Foliorum rutæ p. j.
— salviæ p. iij.
Conc. m. coquantur in aquæ fontanæ ℔iß.
Colaturæ detur.

Usus. *Hoc decoctum per octiduum servari potest; est egregium in dolore dentium. Dentes cariosos bene emendat, et sanos a carie præservat.*

(COLLUTORIUM SINAPINUM.

R. Aquæ fontanæ ℔ß.
Spiritus vini simplicis.
Aceti vini aa. ℥iv.
Pulveris seminis sinapi ʒß.
Sacchari albi ʒj.
Misceantur.

Usus. *In paralysi linguæ confert.*)

COLLUTORIUM ODONTALGICUM.

R. Radicis pyrethri ʒij.
Salis ammoniaci ʒj.
Opii puri gr. ij.

Aceti vinosi.

Aquæ stillatitiæ lavendulæ aa. ℥ij.

Digere in vasis clausis in balneo Mariæ per horam.

U s u s. *In odontalgia cariosa et rheumatica perutile est. Teneat æger cochlear I. in ore sæpius de die.*

INJECTIONES.

Injectio est liquor medicatus, qui in cava corporis naturalia vel præternaturalia siphonis ope infunditur.

Cava naturalia exhibent. Aures. Nares. Puncta lachrymalia. Os, Anus, Urethra, Vesica, Vagina Uterus.

Cava præternaturalia sunt. Vulnera puncta vel in cavum penetrantia. Sinus, Fistulæ.

Materies injectionis. Est omne liquidum adeo tenue ut siphonis canulam transeat. Infusa, Decocta, Emulsa, Succi, Olea. *Solida* & unguinosa nonnisi prius congruo menstruo soluta injici possunt. *Acria* evitentur.

Delectus materiei ab indicatione morbi & efficacia liquoris injiciendi pendet.

Siphones pro injectione varii habentur, de his vide operationes chirurgicas.

Subscriptio formulæ eſt F. *Liquor pro injectione.*

Signatura præter titulum formulæ præcipit, an liquor calidus, frigidus vel tepidus injiciatur — quoties de die — quando — quantum — quo instrumento — a quo — & in quo situ ægroti injectio fiat, demum quid post injectionem fiat.

Usus *injectionum est multifarius, abstergendi, diluendi, eluendi, emolliendi, resolvendi, adstringendi, demulcendi, consolidandi causa peragitur.*

INJECTIO AURICULARIS DETERGENS.

R. Decocti herbæ rutæ ℥iv.
Tincturæ myrrhæ gt. xxx.
Mellis rosacei ℨvj.
M. f. liquor pro injectione.

S. Hujus liquoris tepidi, quantum cavum auriculare capere poteſt, quotidie bis injiciatur in aurem ægram supinatam, ac detineatur per aliquot minuta, dein aure prona, rursus emittatur.

Usus. *Ulcera meatus auditorii et aurifluxum fœtidum ac saniosum emendat et curat.*

INJECTIO DETERGENS.

R. Aquæ calcis ℔j.
Unguenti ægyptiaci ℥j.
Miſceantur.

Usus. *Eſt egregia injectio abſtergens et purificans, in hunc finem in ſinus et fiſtulas injicitur.*

DIGESTIVUM LIQUEFACTUM.

R. Terebinthinæ claræ ℥ij.
Vitelli ovorum ℥j.
Subactis admiſce
Mellis communis ℥ij.
Spiritus vini ℥vj.
Aquæ fontanæ ℥iv.
Calefactum & probe miſtum injiciatur.

Usus. *Suppurationem movet ac detergit, unde in vulnera profunda, anguſta, ſinuoſa ac ſclopetaria injici ſolet.*

BALSAMUS ARCÆI LIQUEFACTUS.

R. Balſami Arcæi.
Vitelli ovorum ãã ℥j.
Miſta dilue in
Spiritus vini communis ℥viij.

Usus. *Ad ſananda vulnera et ulcera ſinuoſa injicitur.*

INJECTIO BALSAMICA.

R. Balsami copaviæ ℥β.
Solvatur cum ovi vitello, subactis conterendo adde.
Aquæ calcis ℥vj.
Mellis rosacei ℥iij.
Misceantur.

Usus. *In eundem finem ac injectio præcedens adhiberi potest.*

INJECTIO MERCURIALIS.

R. Mercurii sublimati corrosivi gr. vj.
Gummi arabici ʒj.
Aquæ fontanæ ℔j.
Solvantur conterendo exacte in mortario vitreo, vel marmoreo.

Usus. *Inservit hæc solutio pro injectione in gonorrhœa, fluore albo, et ophthalmia gonorrhoica.*

INJECTIO EXSICCANS.

R. Aquæ Thedianæ ℥β
— rosarum aa. ʒiij
Misceantur.

Usus. *Ad ulcera sinuosa et fistulas consolidandas injici solet.*

CLYSMATA.

Clysma est liquor medicatus, qui intestino recto injicitur.

Materies eſt omne liquidum scopo morbi accomodatum, hoc tepidum fit oportet.

Proportio ingredientium eſt analica liquidi oleosi & aquosi vel etiam simplex portio.

Quantitas eſt pro adulto ℥viij.
pro infante ℥vj.
pro recens nato ℥ij vel ℥iij.

Applicandi methodus eſt 1 ut ægrotus lateri dextro incumbat, 2. ut ægroti respiratio sit pacata.

Instrumenta clysmatica varia sunt, sipho clysmaticus, atque vesica clysmatica cum tubulo frequentissima sunt. Siphone altius quam vesica urgeri potest clysma.

Post injectionem ægroto commendatur revolutio lenis in sinistrum latus aut in dorsum, quies, tranquillus anhelitus, alvi retentio, si clysma non scopo alvum aperiendi detur.

Usus *clysmatum in morbis intestini recti, herniis, et aliis magis dissitis morbis est notissimus. Clysmata nutrientia dantur, si degluti-*

tio impedita. Habet etenim intestinum colon vasa lactea, et absorbentia.

Clysma ex *fumo tabaci* pertinet ad suffitus, peragitur variis peculiaribus machinis. Vide doctrinam de Chirurgicis Operationibus.

CLYSMA ORDINARIUM.

R. Jusculi carnium.
Olei olivarum aa. ℥iv.
Misceantur.

Usus. *Ad alvum aperiendam et intestinum rectum eluendum applicatur.*

CLYSMA ECCOPROTICUM.

R. Jusculi carnium.
Oleum lini aa. ℥iij.
Sacchari thomæi ℥j.
Misceantur.

Usus. *Hoc clysma certius alvum aperit, quam præcedens.*

CLYSMA PURGANS.

R. Decocti specierum emollientium ℔ß.
Electuarii lenitivi ℥j.
Misceantur.

Usus. *Alvum aliquoties evacuat, in induratione fæcum convenit et in morbis inflammatoriis.*

CLYSMA EX SALE AMARO.

R. Aquæ fontanæ ℔ β.
Salis amari.
Olei lini aa. ℥j.
Misceantur.

Usus. *Intestinum rectum irritat, unde in herniis incarceratis et in cerebri commotione adhibetur, etiam in ascaridibus intestini recti prodest.*

(CLYSMA HYSTERICUM.

R. Herbæ rutæ
— matrimoniæ.
Florum chamomillæ aa. Mβ.

Coquantur sufficiente aqua, et in liquoris filtrati libra una solvantur.

Assæ fœtidæ ℥ij.
Mellis virginei ℥j.

Usus. *In passione hysterica convulsiva, uti ex inscriptione patet, et in aliis similibus morbis cum fructu adhibetur.)*

CLYSMA EMOLLIENS.

R. Lactis vaccini.
Olei lini aa. ℥iv.
Misceantur.

Usus. *In tenesmo aut inflammatione vesicæ, uteri aut intestini recti datur.*

CLYSMA LENIENS.

R. Gelatinæ amyli ℥iij.
Olei lini ℥j.
Gelatina liquefiat super igne & cum oleo misceatur.

Usus. *Dolores hæmorrhoidales et tenesmum lenit.*

CLYSMA ADSTRINGENS.

R. Aquæ calcis ℥vj.
Terræ japonicæ ℥ß.
Misceantur.

Usus. *In prolapsu et laxitate intestini recti laudatur.*

CLYSMA TEREBINTHINATUM.

R. Terebinthinæ ℥ß.
Solvatur cum ovi vitello adde
Decocti emollientis ℥x.

Olei lini ℥j.
Misceantur.
Usus. *In tenesmo dysenterico, in ascaridibus et in ulceribus intestini recti commendatur.*

CLYSMA OPIATUM.

R. Infusi seminis lini ℥vj.
Laudani liquidi gt. xxx. vel
Extracti thebaici gr. ij.
Misceantur.
Usus. *In maxillæ tetano, qui deglutitionem impedit convenit.*

CLYSMA NUTRIENS.

R. Jusculi carnis.
Lactis aa. ℥ij.
Gelatinæ cornu cervi ℥j.
Misceantur.
Usus. *In deglutitione impedita ad vitam sustentandam usum habet.*

CLYSMA ACRE.

R. Decocti specierum emollientium ℥x.
Pulveris radicis scillæ ʒj.
Misceantur.

Usus. *Est clysma irritans, quod sæpe multoties alvum simul movet, indicatur in commotione cerebri et herniis incarceratis.*

LAVATORIA.

Lavamenta sunt liquida medicata, quibus pars morbosa abluitur.

Materies ergo est omne liquidum simplex vel aliis ingredientibus compositum.

Subscriptio eſt *m. ſiat liquor pro lotione.*

Ablutio fit ope spongiæ vel manus vel lintei mollis, continuatur per $\frac{1}{4}$ horæ, si ægrotus aut morbus id ferat.

Usus. *Maxime in morbis cutaneis conducunt hæ lotiones, cum liquido medicato simul frictio humida accedat, hinc efficax est formula.*

LOTIO SAPONACEA.

R. Aquæ pluvialis ℔j.
Balsami vitæ externi ℥j.
Misceantur.

Usus. *Oedemata et tumores frigidos serosos, atque articulares egregie discutit.*

LOTIO ANTISCABIOSA.

R. Specierum contra scabiem ℥j.
Coquantur in Aquæ fontanæ ℔j.
Colatura detur.

Usus. *Scabiem, herpetem, tineam, et alios cutis morbos curat.*

LOTIO SALINA.

R. Aquæ fontanæ ℔iij.
Salis communis ℥iij.
M. solvantur.

Usus. *Pustulas faciei egregie curat.*

LAC SULPHURIS.

R. Florum sulphuris ℔ß.
Salis sodæ ℔iß.

Coquantur cum aqua simplici in vase terreo vitreato, donec major pars sulphuris soluta fuerit. Coletur.

Usus. *Ad morbos cutaneos curandos adhibetur.*

LAC VIRGINIS.

R. Aluminis crudi ℥ij.
Aquæ fontanæ ℔j.
Solutis admisceatur.
Aceti lithargyrii ℔ß.

Usus. *Pro cosmetico habetur, quum cutem a sole quasi ambustam prompte curet, atque etiam lentigines et serpigines deleat; at quotidianus et longus hujus lactis usus suaderi non debet, quum inde, ut magnus* Boerhaave *putat, præter opinionem labes in pulmones redundet, sex enim vel septem nobiles puellas, ejus fuci abusu, mortem obivisse observavit.*

LOTIO AD TINEAM CAPITIS.

R. Teſtarum oſtrearum nuper calcinatarum ℥xij.
Picis liquidæ ℥viij.
Aquæ pluvialis ℔vj.

Coque ad dimidias, dein subsidendo facta depuratione, cum friget liquor, percoletur.

Usus. *A celeber.* Fuller *pro capite tineoso lavando commendatur. Post ejus usum illiniri potest unguentum e testis.*

B A L N E A.

Balneum eſt fluidum medicatum, cui totum corpus, vel pars solummodo corporis imponitur.

Hinc diviſio in

Balneum univerſale, cui totum corpus ad caput usque immergitur.

Semicupium, cui dimidium corporis ad umbilicum vel ſcrobiculum cordis usque imponitur.

Pediluvium, ſi ſolummodo pedes & crura

Maniluvium, ſi manus vel brachium

Peniluvium, ſi penis ſolus imponitur.

Materies eſt quidquid in aqua vel alio liquido, dilui vel ſolvi poteſt.

Vehiculum eſt fere ſemper aqua ſimplex, fluviatilis, vel mineralis; rarius ſolum lac, vel oleum, vel vinum.

Vas excipiens vel toto corpori vel parti balneandæ ſit proportionatum & accommodatum.

Tempus pro balneatione eſt media vel integra hora.

Usus. *Balnea integra in morbis cutaneis, balnea topica in morbis membrorum variorum conveniunt.*

BALNEUM CONTRA SCABIEM.

R. Specierum emollientium,
— contra ſcabiem aa. Mvj.
Salis ammoniaci ℥iv.

Miſceantur, coquantur in olla magna cum ſufficiente quantitate aquæ. Tota decoctio additur balneo.

Usus. *In scabie et morbis plurimis cutaneis utilissimum balneum est.*

BALNEUM OPHTHALMICUM.

R. Herbæ malvæ cum floribus pug. j.

Concisa coquatur cum 1/4 ℔ aquæ fere per decem minutos, colaturæ adde.

Spiritus vini camphorati crocati gt. xij.

Usus. *Celeberrimus Oculista Ianin laudat hoc remedium ad resolvendum hypopium, tamen quidem alia proportione. Præscribit quippe modo folia, additis non ultra sex guttis spiritus vini camphorati. Cum ego vero ipse secundum hanc datam formulam id remedium in semel evacuato per operationem et paullo post iterum collecto hypopio adhibuerim, omneque pus octo post diebus evanuisse viderim, hanc* Ianino *imitatam compositionem non inutilem fore spero.*

Sumatur cyatus vel cochleare, impleaturque calido decocto, cui, quam diu calidum est, oculus teneatur. Repetatur hoc quotidie quater, quinquies vel sexies, portione præscripta per diem recenter cocta.

Cum frequentiori coctione particulæ nonnullæ spiritus vini camphorati avolent, ego semper, si ab igne removebatur nonnullas guttas admisi, et nunquam ægrotus de acrimonia medicacamenti questus est.

BALNEUM SULPHUREUM.

R. Calcis vivæ.
Sulphuris vivi aa. ℔j.
Aquæ fluviatilis ℔xxx.

Præmissa unica ebullitione extrahatur per noctem lixivium, altero die fiat balneum plenum cum aqua fluente.

Usus. *In morbis cutaneis, in arthritide, articulorum tumoribus nodosis, et in paralysi laudatur.*

SEMICUPIUM EMOLLIENS.

R. Herbarum emollientium.
Hordei integri aa. Mvj.

Insuantur laxe sacculo linteo quadrato, ad lumborum dimensionem aptato. Saccus coquatur per ½ horam in lacte, dupla quantitate aquæ diluto. Liquori calenti insideat æger ad umbilicum usque, sacco lumbis supposito, mane & vesperi per horam.

Usus. *In calculo renum, et morbis genitalium aut extremitatum inferiorum proficuum est.*

MANILUVIUM LIXIVIOSUM.

R. Salis alcalini ex sarmentis vitis ℥j.
Extracti myrrhæ ʒß.
Aquæ fontanæ Mens. j.

Usus. *In panaritio sinuoso, et tota manu pluribus locis exulcerata commendari potest.*

VAPORATIONES.

Vaporatio est applicatio vaporis humidi ad totam corporis superficiem, vel ad unum tantummodo ejus locum.

Materies est liquor omnis, ignis ope, vel calore proprio in vapores medicatos resolubilis.

Machinæ, quibus vapor coercetur, concentratur, & ad locum affectum determinatur, sunt variæ.

Infundibula variæ magnitudinis, adaptata parti, inserviunt pro vaporatione oris, narium, faucium, pulmonum cavo aereo, pro auribus, oculis, vagina, utero.

Sella perforata eſt pro vaporandis hæmorrhoidibus.

Machina sudatoria fornicata pro vaporando toto corpore inservit, vel totum corpus usque ad collum pallio tegatur, & sub illo vaporarium ponatur.

Vaporis elevatio peragitur 1. coctione.
2. ſuppoſitione prunarum.
3. impoſitis ignitis ſilicibus.

Vaporatio fit per $\frac{1}{4}$ horæ, & ultra.

Usus. *Vis vaporis eſt efficax ac penetrans admodum, hinc ad emolliendas rigiditates, et ſolvendas indurationes in anchyloſi adhibetur.*

VAPOR RESOLVENS.

R. Foliorum Abſynthii.
— Roriſmarini.
Summitatum Rutæ aa. Mß.
Florum Lavendulæ ℨß.
Baccarum Lauri.
Seminum cumini aa. ℥iij.

Conciſa, inſue ſacculo, coquantur in ſ. q. vini albi. Vapor ope infundibili applicatur parti affectæ per $\frac{1}{4}$ horæ.

Usus. *In amauroſi, gravitate auditus, et in anchyloſi a ſynovia inſpiſſata commendatur.*

VAPOR EMOLLIENS.

R. Herbarum emollientium Mj.
Lactis ℔j.
Coquantur.

Usus. *Dat vaporem emollientem et relaxantem, unde in gravedine, angina et morbis va-*

ginæ et uteri, a rigiditate aut siccitate ortis, convenit.

EMBROCATIONES.

Embrocatio est liquor medicatus, qui ex alto vel guttatim vel continente rivulo in partem ægrotam depluit.

Etiam vocatur *stillicidium* vel *Embroche.*

Materies stillicidii eſt omnis liquor medicatus, simplex vel compositus.

Machina pro ſtillicidio anguſtum collum & adeo figuratum habeat, ut liquidum medicatum tantummodo guttatim depluere possit. Quo altius guttæ depluunt, eo efficacius partem ægrotam commovent & concutiunt.

In multis thermis naturalibus talia stillicidia jam exſtructa deprehenduntur. Ex tempore autem parari possunt, si in domus area ægrotus sedeat & vas pro ſtillicidio ad marginem tecti, vel sub altissima feneſtra adeo suspendatur, ut guttæ deorsum cadere possint.

Usus. *Stillicidii in morbis et tumoribus articulorum refractariis et pertinacissimis obstructionibus tantus est, quantus a nullo alio reme-*

dio exspectari potest. Efficacissime enim totam partem et materiam morbosam stagnantem commovet et discutit.

EMBROCATIO DISCUTIENS.

R. Herbæ altheæ. Mjv.
— menthæ.
— matricariæ.
Summitatum Absynthii.
Florum Centaurii.
— Lavendulæ.
— Chamæmeli aa. Miij.
Rasuræ ligni Sassafras ℥ij.
Baccarum lauri.
— juniperi aa. ℥iv.

Cum s. q. aquæ com. coq. vase clauso per dimidiam horam. Colaturæ libr. xxiv. admisce.

Salis ammoniaci ℥iv.
Spiritus juniperi ℔ij.

USUS. *Liquor pro stillicidio, qui modice calefactus apto vasi immissus, de hujus cannula ex alto destillet in partem affectam, nudam: huic autem supposita sit pelvis, liquorem munere suo functum exceptura. Stillicidio per horam continuato, æger in lectum calidum reponatur, parsque affecta vesicis, eodem decocto calente repletis, undequaque applicasis, fovea-*

tur, ut aliquot horarum spatio sudet. Denique fricetur eadem cum pannis laneis, siccis, calidis, hisce ipsis obvoluta a frigore defendatur. Repetatur eadem singulis diebus per aliquot hebdomades, decoctumque quarta quavis embrocatione renovetur. Sic paralysis, tumores indurati articulares et anchyloses curatæ fuere. Vide LE DRAN *observationes chirurgicas.*

SUFFITUS.

SEU

FUMIGATIONES.

Suffitus eſt applicatio *fumi* medicati ad totam corporis superficiem vel ad unam ejus partem.

Materies ejus primaria, sunt corpora quævis sicca inflammabilia vel volatilia, quæ igne cremata fumos fundunt medicatos. *Forma suffimigii* eſt, vel *pulverulenta* ut pulveres fumales sunt, vel *figurata* ut *Candelæ*, *Pastilli*, *Tædæ* &c. quæ fiunt, dum *Pulveres fumales* ope glutinis apti in tales figuras coguntur.

Quantitas, Pugilli j. vel ij. prunis injiciantur.

Pro *vehiculo panni* lanei, vel linei, fumo imbuti fovendis aut fricandis partibus inserviunt.

Quandoque subuculæ, cuculli, sacculi fumigantur prius, quam corpori applicantur.

Fumus nicotianæ ope fiſtulæ tabacariæ hauritur.

Clysma ex *fumo nicotianæ* ano immittitur ope instrumenti peculiaris clysmatici.

Usus *suffitus est*.

1. Ad roborandas, siccandasque partes, aut discutiendos tumores & rheumatismos.

2. Ad corrigendum aerem.

3. Suffitus *cinnabarinus* ad curanda mala venerea.

4. Suffitus ex *alumine* ope infundibuli in nares admissus ad sistendam hæmorrhagiam narium eſt.

5. — *nicotianæ* subinde odontalgiam curat.

6. *Clysma* ex fumo nicotianæ pertinacissimas alvi obſtructiones & hernias incarceratas, si inflammatio abeſt, curat.

SUFFITUS ROBORANS.

R. Benzoes.
Olibani.
Sarcocollæ.
Resinæ guajaci aa. ℥ß.

Mastiches. ℥j.
Salis ammoniaci. ℥vj.
Camphoræ ℥ij.
M. f. pulv. pro suffitu.

Usus. *Suffitus hicce est discutiens et roborans, ad curandam hydrocelem a Magno* Boerhaavio *laudatur. Hujus pulveris incensi vapor excipiatur nudo scroto, dein panni lanei fumo hoc calefacti super scrotum applicentur. Sic etiam tumores serosi et œdematosi in cruribus curantur.*

SUFFITUS ANTILOIMICUS.

R. Myrrhæ.
Florum sulphuris.
Nitri aa. ℥j.
M. f. pulv. rudis.

Usus. *Hujus pulveris pugillis aliquot in prunas inspersis vaporentur cubicula aut ædes bis quotidie.*

PULVIS FUMALIS ORDINARIUS.

R. Baccarum juniperi ℔j.
Succini rasi ℔iß.
Florum rosarum rubrarum.
— lavendulæ.
— benzoes.
Mastichis aa. ℥viij.

Storacis calamitæ.
Olibani.
Ligni rhodii rasi aa. ℥vj.
Gummi ladani ℥iij.
M. F. pulv. groſſus.

Usus. *Ad aerem calefaciendum sub deligatione vulnerum et ulcerum incenditur.*

FUMIGATIO ANTICIMICA.

R. Fructus capsici annui.
Assæ fœtidæ.
Sulphuris citrini aa ℥ij.

Concisa contundantur in pulverem rudem.

Usus. *Est teste Ehrhardtio optimum remedium contra cimices, ægrotum quam ſæpe in somno turbantes. Hypocaustum per viginti quatuor horas ab omnibus removeatur, et, lecto ſellis imposito, foculus cum prunis candentibus et insperso hoc rudi pulvere in libero hypocausti loco laminæ ferreæ vel vasi terreo immitatur, et sic janua claudatur. Finitis 24 horis a quodam ore nasoque tecto fenestræ aperiantur, omniaque per nonnullas horas in auras disseminentur, usque dum vapor et fœtor plane perierint, et sic ſumma cum voluptate cimices in cavernis fissurisque mortuæ reperiantur. Nec ullum cimicum vestigium fuit per nonnullos annos in hisce hypocaustis.*

PULVERES.

Pulvis est medicamentum siccum, quod in minimas particulas contritum eſt.

Adspergo est pulvis, qui externo cuidam corporis loco inspergendo applicatur.

Materies eſt omne pulverulentum, adeo tenue, ut adhærescat parti adspergendæ.

A tenuitatis gradu trifaria eſt pulverum divisio.

Pulvis *subtilissimus* etiam *alcohol* vel *pollen* vocatur,

— *mediæ subtilitatis*, qui *pulveris* nomine venit,

— *rudior* vel *grossus* qui pro fomentis adhibetur.

Subscriptio eſt, *misce* fiat *pulvis*; additur dein consistentia rudior vel subtilior.

Receptaculum plerumque *scatula* vel *lagenula* eſt, aut etiam charta si magna pulveris quantitas. Subinde nodulo ex sindone rara includitur.

Methodus applicandi varia eſt. Digitis ulceri vel vulneri inspergitur. Excoriationibus cutaneis ope noduli ex sindone excutitur. Si vero declivitas partis adspergini retinendæ

apta non eſt, hæc ſuper panno linteo aut papyro distributa parti applicatur & firmatur.

Usus *pulverum et adsperginum multiplex est, ad vulnera, ulcera, oſſa nudata, cariosa, partes gangrænosas applicantur, exsiccandi, irritandi fine, ad hæmorrhagiam sistendam, excoriationes sanandas etc.*

PULVIS DENTIFRICIUS.

R. Pulveris herbæ nicotianæ ℥j.
— radicis lapathi acuti
— — iridis florentinæ
Pulveris gummi myrrhæ aa. ʒij.
Olei caryophillorum stillatitii ʒiß.
Misceantur.

Usus. *Ad dentes purificandos, ac dealbandos adhibetur.*

(PULVIS DISCUTIENS.

R. Herbæ absynthii sine stipitibus
Florum chamomillæ.
— sambuci aa. Mj.

Misceantur, conterantur omnia mortario in pulverem, addatur.

Camphoræ pulverisatæ ʒß.

Usus. *Per se parti ægrotae inspersus in variis inflammationibus erysipelatosis utilis eſt. Insutus linteo, oculisque inflammatis impositus*

absque aliorum remediorum usu opem tulit subitaneam, si de die repetebatur. Cornea obvelata sæpe post ejus usum claritatem suam recepit.)

PULVIS STERNUTATORIUS.

R. Foliorum siccatorum asari
— — majoranæ
— — mari syriaci
Florum siccatorum lavendulæ aa. p. æq.
Conterantur simul in pulverem.

Usus. *Ad eliciendum mucum e naribus in morbis sinuum pituitosorum, ad irritandum corpus, ad ejiciendum corpus heterogeneum ex cavo laryngis vel tracheæ adhiberi solet.*

PULVIS NASALIS.

R. Resinæ quajaci.
— camphoræ aa. gr. x.
Aquilæ albæ ℈j.
Sacchari albi ℈ij.
Foliorum asari ℥β.
Corticis Peruviani ℈ij.
Olei caryophillorum gt. x.
M. f. pulvis.

Usus. *Sumta bujus pulveris una portione per duas vel tres horas oritur sternutatio, et non-*

nullis diebus coryza pituitosa cruenta enaribus. Ego in incipiente cataracta et amaurosi, cephalalgia inveterata et aurium surditate sæpe bonos effectus vidi.

PULVIS AD ERYSIPELAS.

R. Farinæ volatilis ex molendinis ℥vj.
Camphoræ pauxillo spiritu vini tritæ ʒj.
Cretæ
Boli rubræ aa. ℥ij.
Cerussæ ʒiij.
M. f. pulvis tenuissimus.
Usus. *Chartæ cæruleæ vel linteo crocato affrictus imponitur.*

PULVIS BALSAMICUS.

R. Pulveris mastichis
— myrrhæ
— sarcocollæ aa. ℥j.
Misceantur.
Usus. *Ossibus denudatis aut cariosis, tendinibus ac ligamentis nudis vel corruptis inspergitur, ut corruptionem arceat.*

PULVIS STIPTICUS.

R. Pulveris boli armenæ ℥vj.
— crepitus lupi ℥ij,
Misceantur.

Usus. *Ad hæmorrhagiam e vaſis minoribus in vulnere ſiſtendam commendatur.*

PULVIS ANTISEPTICUS.

R. Pulveris corticis peruviani.
— rutæ aa. ℥ij.
Pulveris camphoræ ſpiritu vini tritæ ℥iij.
Misceantur.

Usus. *Inſpergitur partibus gangrænoſis, ulceribus ac vulneribus.*

PULVIS CAUSTICUS.

R. Aluminis uſti ℥j.
Mercurii præcipitati rubri ʒß.
Misceantur.

Usus. *Ad conſumendam carnem luxuriantem inſpergitur in ulcera et vulnera fungoſa.*

PULVIS ANTICANCROSUS BERNARDI.

R. Cinnabaris artefactæ ʒij.
Cinerum e calcis antiquis combuſt. gr. viij.
Sanguinis Draconis gr. xij.
Arsenici albi ℈ij.

M. f. pulvis tenuiſſimus.

Si adhibeatur iſte pulvis, miſceatur hujus quædam pars cum pauxillo aquæ ita ut puls fiat, qui ope penicilli parvi toti ſuperficiei ulceris craſſitie groſſi illiniatur, & fruſtulo Agarici tegatur. Sæpe oritur dolor & inflammatio, quæ tamen non nocent. Nonnullis poſt diebus decidit eſchara & purum bonum ulcus relinquitur. Ante uſum emplaſtri ægrotus purgare debeat, ſubque ejus uſu lactis diætam adhibere teneatur. Vide Sammlung für praktiſche Aerzte. T. VII. P. III. pag. 512.

Usus. *Solum in ulceribus cancroſis faciei opem ferre dicitur.*

PULVIS PLUMKETI AD CANCRUM.

R. Foliorum ranunculi flammei Mij.
Herbæ cotulæ fœtidæ Mj.
Arſenici albi ℥ij.
Florum ſulphuris ℥j.

Conterantur in pulverem tenuem.

Usu. *Hic pulvis causticus eſt, ſummo dolore cancrum conſumere et ſpecifice curare dicitur. Cum albumine ovi ex hoc pulvere paſta formatur, quæ ulceri impoſita et veſica bene firmata, per 24. vel 48. horas relinqui debet.*

At ob ingrediens arsenicum tentamen non sine periculo est. Hinc nisi novis experimentis usus confirmetur, nemini author sum, ut hoc remedio utatur. Pulvis flammulæ Jovis *pro caustico contra cancrum tutius adhiberi potest. At periculosum ſemper manet remedium.*

PULVIS OPHTHALMICUS BALDINGERI.

R. Sacchari albi
Boli armeni albi vel rubri ij.
Cremori tartari aa. ℥ß.
M. f. pulv. subtilissimus.

Usus. *Applicetur oculo absque flatu quotidie parva portio hujus pulveris, sanat teste* Ill. Baldingero *maculas et pannos corneæ.*

PULVIS MANUALIS.

R. Amygdal. amarar. excortic. ℔iv.
Farinæ oryzæ. ℔ij. & ℥ij.
Pulv. rad. iridis florent.
Cretæ præparat. aa. ℥ij.
Farinæ fabarum. ℔j.
Salis tartari ℥j.
Olei jasmini ℥ß.
— ligni rhodii ʒß.
Misc. d. u.

Usus. *Ad manuum aliarumque partium sordidarum lavacra.*

EMPLASTRA.

Emplaſtrum eſt medicamentum adeo glutinoſum, ut linteo vel alii vehiculo illitum cuti adhæreat.

Materies emplaſtri ſunt *baſis* & *ingredientia.*

Baſis emplaſtrorum eſt:

1. *cera*, vel
2. *cera* cum *terebinthina* liquata,
3. vel *calx plumbi* cum *oleo* cocta.

Vis adhæſiva a terebinthina
pice vel *reſina eſt.*

Ductilitas eſt ab *oleo*,
butyro vel *axungia.*

Ingredientia ſunt omnia corpora, quæ cum baſi emplaſtica miſceri ſe ſinunt.

Proprietates bene facti emplaſtri ſunt;

1. *Conſiſtentia* in frigore ſicca, digitos non inquinans.
2. *Ductilitas* ſequax & *mollities* in leni calore.
3. *Tenacitas* adhæſiva ut linteo & parti facile adhæreſcat.
4. *Mixtio homogenea* ingredientium.

Ordo miſcelæ ſequens eſto.

1. *Pinguia* cum tenacibus primum ſundantur.

2. *Olea* & cætera *liquida* admiſceantur, ſed calefacta.
3. *Gummi reſinæ* in terebinthina, aut aceto forti ſolutæ, addantur.
4. Peracta evaporatione humidi & patina ab igne remota, *pulveres ſicci* ſub perpetua agitatione admiſceantur.
5. Emplastro fere frigefacto tandem *volatilia*, ut camphora, crocus, olea, eſſentialia &c. addantur.

Quantitas ingredientium ab emplastri requiſita ſpiſſitate pendet, ita fere determinatur, ut ſit pro emplaſtro

molli	Olei ℥j.	Ceræ ℥j.	Pulveris ℥ß.
medio	— ℥j.	— ℥iß.	— ʒvj.
duro	— ℥j.	— ℥ij.	— ℥j.

Vehiculum cui emplastra illiniuntur ſunt linteum, tela ſericea, vel aluta.

Magnitudo & *Figura* emplaſtri a loco, cui imponi debet, determinatur.

Illinitio ſeu *Extenſio* emplaſtri ad vehiculum poſtulat;

1. Ut emplaſtrum vel antea malaxetur leni calore vel iterum colliquetur.
2. Ut *ſpatula* vel *penicillo* æqualiter vehiculo illiniatur.
3. Ut *vehiculum* bene extenſum & ſupra tabulam ſirmatum sit.

Usus *emplaſtrorum eſt multiplex.*

1. Ad *vulnera unienda* emplaſtra tenacia adhibentur.

2. Ad *vulnera & ulcera tegenda*, ut ab aere defendantur, & ut plumaceola, balsama, vel alia medicamenta in illis retineantur; & hoc totum eſt, quod emplaſtra sic dicta vulneraria præſtare valent.

3. Ad *tumores inflammatorios emolliendos* & ad *suppurationem* in illis promovendam; in quo casu crasse illiniantur & cataplasmate emolliente tegantur.

4. Ad *resolvendos tumores frigidos.* Sed nullum scio emplaſtrum, quod inflammationem resolveret. Hi tumores emplaſtra non ferunt, augetur inflammatio & in suppurationem, vel ut erysipelas, in gangrænam ideo abire subinde visa fuit.

5. Plurimorum hominum cutis, etiam sana, ab emplaſtris pruritu, puſtulis, erysipelate afficitur. Hinc in tumoribus inflammatoriis nocent emplaſtra.

EMPLASTRUM ALBUM COCTUM.

R. Olei olivarum ℔ij.
Cerussæ ℔iv.

Leni igne sub continua agitatione & jugi pauxilli aquæ inſtillatione coctis, addantur.

Ceræ albæ ℥vj.

Colliquescant ut fiat emplaſtrum.

Usus. *Ambustioni, ulceribus et erosionibus cutaneis medetur.*

EMPLASTRUM DE AMMONIACO.

R. Ceræ citrinæ.
Resinæ pini.
Terebinthinæ āā ℥iv.
Colliquatis & colatis addantur.
Gummi ammoniaci depurati ℥viij.
Fiat emplaſtrum.

Usus. *Emplastrum resolvens et leniter irritans est, unde tumoribus cisticis, induratis, et articularibus quibusdam medetur.*

EMPLASTRUM ANGLICANUM.

R. Ichtyocollæ ℔j.
Storacis ʒvj.
Spiritus vini q. s.

Liquentúr super lenissimo igne in gelatinam tremulam, hæc telæ sericeæ nigræ tenui, sed solidæ, mediante machina lignea extensæ, ope mollis & lati penicilli in loco frigido calide illiniatur.

Usus. *Ad unienda vulnera et tegendas excoriationes cutaneas est insignis usus. Sexui amabili inservit pro emplastris cosmeticis.* V. das Stralsundische Magazin, I. Theil.

EMPLASTRUM DE CICUTA.

R. Ceræ flavæ ℔j.
  Olei hyosciami ℥iv.
Colliquatis, colatis ac paulo refrigeratis addantur.
  Succi cicutæ inspissati ʒvj.
  Gummi ammoniaci in decocto cicutæ soluti, iterumque inspissati ʒviij.
Ad lenem ignem demum admisceantur.
  Pulveris cicutæ ʒviij.
M. f. Emplaſtrum.

Usus. *Ad solvendos tumores induratos, scirrhos, scrophulas, et carcinomata specifice laudatur.*

EMPLASTRUM CITRINUM.

R. Reſinæ ℔j.
  Ceræ citrinæ ʒviij.
  Sevi cervini ʒiv.
  Terebinthinæ ℥ij.
Colliquatis & colatis addantur.
  Pulveris curcumæ ʒß.
M. f. Empl.

Usus. *Ad vulnera et ulcera digerenda commendatur. Suppurationem ulceris, vesicatorio facti auget et promovet.*

EMPLASTRUM AD CLAVOS PEDUM.

R. Ceræ flavæ
Gummi ammoniaci āā ℥j.
Viridis æris ʒvj.

Colliquatis cera et gummi adde viridæ æris.

Usus. *Clavos pedis bene emolit et separat, si per aliquot septimanas forma trochisci applicetur. In* 2000 *casibus clavos curasse fertur.*

EMPLASTRUM AD VERRUCAS.

R. Emplastri dyachyli ℥iij.
Viridis æris ℥ß.
Salis ammoniaci ʒiij.
Mercurii præcipitati rubri ʒij.
Olei euphorbii q. s.

Misceantur in Emplaſtrum.

Usus. *Ad tollendas verrucas ab Authoribus quibusdam commendatur. Loco hujus emplastri, quod acre admodum et in verrucis faciei periculosum medicamentum est, possunt verrucæ per* 15 *dies quotidie bis sapone nigro madefacto fricari, quo remedio verrucæ sæpe evanescunt.*

EMPLASTRUM DEFENSIVUM RUBRUM.

R. Lithargyrii ℔ iij.
Olei olivarum ℔ iv.

Ad spissitudinem emplastri fere coctis, addantur.

Ceræ flavæ ℥ iv.

Colliquatis demum admisceantur

Terebinthinæ venetæ
Olibani triti āā ℥ iv.
Colcotharis vitrioli ℥ vj.

M. F. Emplaſtrum.

Usus. *Est emplastrum roborans ac discutiens, unde ad ulcera tegenda et ab aere arcenda adhibetur. Loco emplastri ad fracturas et hernias commendatur. Sed raro fracturæ aut herniæ emplastra exigunt.*

EMPLASTRUM DIACHYLON SIMPLEX.

R. Lithargyrii subtilissime triti ℔ ij.
Olei olivarum clari ℔ iij.

Debita cum cautela coctis addantur.

Mucilaginis seminis fænugræci
— — lini
— radicis althææ aa. ℔ j.

Continuata leni coctione fiat emplaſtrum.

Usus. *Est emplastrum emolliens, unde ad emolliendos tumores, qui in suppurationem abeunt, usitatissimum est.*

EMPLASTRUM DIACHYLON COMPOSITUM.

R. Emplaſtri diachyli simplicis ℔ ij.
Ceræ flavæ ℥ iv.
Colliquatis addantur debito ordine
Terebinthinæ venetæ ℥ij.
Pulveris gummi ammoniaci
— galbani
— opopanacis
— sagapeni aa ℥j.
Croci triti, in spiritu vini macerati & diluti ℥ij.
M. f. Emplaſtrum.

Usus. *Est emplastrum emolliens et simul maturans, unde ad promovendam suppurationem adhiberi solet. Irritat vero vehementer, indeque efficit atroces dolores et inflammationem. Sæpe exserit contrarium effectum et discutit ibi, ubi maturare deberet.*

EMPLASTRUM DIAPALMAE.

R. Olei palmæ ℔ß.
— olivarum veteris ℔vß.
Foliorum quercus tenellorum ℥iß.
Coctis & colatis addantur
Lithargyrii tenuissime triti ℔iij,
Ab igne remotis admisceantur
Vitrioli albi ℥iv.
M. f. Emplaſtrum.

Usus. *Emplastrum est roborans et adstringens, hinc ad hernias, fracturas et articulationum relaxationes adhiberi potest, nec non ad ulcera et vulnera cicatrisanda.*

EMPLASTRUM DIASULPHURIS.

R. Balsami sulphuris simplicis
Ceræ flavæ aa. ℥iij.
Colliquatis admisceantur
Myrrhæ pulverisatæ ℥xviij.
M. f. Emplaſtrum.

Usus. *Ad ulcera scrophulosa et antiqua sananda præprimis laudatur.*

EMPLASTRUM DIAPHORETICUM.

R. Ceræ flavæ ℔j.
Colophonii

Terebinthinæ claræ
Gummi bdellii aa. ℥iv.
— ammoniaci ℥ij.
— galbani
— sandaracæ aa. ℥j.
Succini citrini ℥iij.
Thuris electi.
Mastichis aa. ℥β.

Cera cum colophonio liquetur, & coletur, his semirefrigeratis adde Terebinthinam cum galbano & gummi ammoniaco liquatam, ultimo pulverisata l. a. misce, et sic fiat emplaſtrum.

Usus. *Emplastrum est rubefaciens, ad dolores rheumaticos sedandos, et tumores rheumaticos articulorum resolvendos, perutile.*

EMPLASTRUM DE GALBANO CROCATUM.

℞. Emplaſtri de meliloto
— Diachyli simplicis aa. ℥iij.
Ceræ citrinæ
Terebinthinæ
Galbani in aceto soluti aciterum inspissati aa ℥ij.
Croci orientalis ℨvj.

Debito ordine colliquentur, commisceantur, ut fiat Emplaſtrum.

Usus. *Mammas a lacte coagulato induratas subinde resolvit, vel in suppurationem deducit.*

EMPLASTRUM DE HYOSCIAMO.

R. Olei seminis hyosciami expressi ℔ß.
Succi herbæ hyosciami ℔j.
Ad consumptionem humidi coctis addantur
Ceræ flavæ ℥xiv.
Terebinthinæ ʒij.
Liquatis & paulo refrigeratis admisceantur demum
Herbæ hyosciami in pulverem redactæ ℥ij.
M. fiat Emplaſtrum.

